BENEDICTI MARIOTTI

VERTVNNVS SIVE

Elogiastica, Encomiastica, & Acclamatoria

INSTITVTIO.

In qua etiam de Epitaphio, & Epigraphe.

Ad Illustriss. & Excellentiss.

D. NICOLAVM FANTONIVM

Magn. Etruriæ Ducis Sereniss.

Auditorem.



Pisis in Officina Franc. Tanagli. M.DC.XXXVI

Superiorum Permissu.

LECTOR.

PEculiarem ad formã Elogium quaſi alterum Vertunnum aſtringere, magni quidem conatus, ſed nec vtilitatis exiguę fore exiſtimaui: ſi cuiquam id præſtare contigiſſet. Dum hanc prouinciam aggrederer, animus ſubijt agendi de Epitaphio, Epigrapha, Encomio, & Acclamatione, quæ omnia amicorum hortatu ſub tuum conſpectum profero, vel tumultuario ſtylo .ſ.

.... Fungens vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet exors ipsa
secandi.

Suauius enim posteriores Citharœdi audiuntur; vbi mali præcinerint. Ipse igitur Mysiorum vltimus prima, primi meliora dabunt. Tuæ humanitatis erit votum pro re hilari vultu excipere; e quo pendebunt fata Plinij siue opusculi de Panegyrico, & aliorum, quæ iucunditati, gratiæque tuæ calamus elaborat. Fortunæ, vel fati nomine causas nobis abditas diuinæ prouidentiæ administras profiteor. Valeas, nec me vnquam asserturum censeas, nisi quod asserit Romana S. Mater Ecclesia.

Videat Reu. P. M Ant. Ruida &c.

P.I. Lantes Vic. Gen. &c.

Vertumnum vidi Perill. ac Adm. R. D. Benedicti Mariotti S. T. D. nec quidquam fidei Catholicę moribusq; contrarium offendi, immo eruditis gratissimũ fore censeo. Dat. 3. Non. Octob. 1636.

D. M. Ant. Rouida Cler. Reg. S. P.

Imprimatur si videbitur Patri Inquisitori Pisarum, &c.

P.I. Lantes Vic. Gen. &c.

Vertumnum hunc Perill. & R. Adm. D. Benedicti Mariotti videat, & examinet R. Adm. P. Mag. Angelus Rauennas Francisc. Conuent. noster Consul. Dat. in Ciuit. Liburni die 6. Octob. 1636.

F. B. Inquisitor Generalis Pisar.

Ego F. Angelus Rauennas S. Theol. Doctor, Regens Conu. S. Francisc. Pisar. & Vniuersitatis eiusdẽ Theologus publicus, SS. Inquisit. Consultor,

ſultor, iuſſu prefati Reuerendiſs. in Chriſto P. Mag. Bernardini Mãzonij Cęſenatis Inquiſitoris Generalis in tota Piſana ditione à S. Sede Apoſt. Delegati, Vertunnum Perill. & Adm. R. D. Benedicti Mariotti Phil. & S. Theol. Doct. ſolerter inſpexi, & nihil Catholicæ Fidei, vel morũ integritati repugnãs offendi, ſed eruditione plenum reperi, & ideò dignum impreſsione. In quorum fidem. Datum Piſis in Conu. S. Franciſci die 22. Octob. 1636.

F. Angelus Rauennas qui ſup.

Imprimatur.

F. B. Manzonius Inquiſit. Gen.

Gherardus Sarac. Studij Piſ. Prouiſ. Generali.

ELENCHVS RERVM NOTABILIORVM.

A.

Ac-

A 5

B

Bar.

C

Chry-

D

Dia-

E

Elo-

Em-

Epita-

F

Ia-

L

M

Me-

N

P

Pa-

Pu-

R

S

Sty-

DE ELOGII DIGNITATE.

CAP. I.

SI ex auctore, vetustate, vsuque laudatissimo, est adinuente rei æstimāda nobilitas: nobilissimum esse constabit Eulogium: Quippe quod suam primo generis nostri parenti acceptam ferat originem: Magna cum nostri sęculi gloria in omnium sit eruditorum vocis, & calamis, in omnium librorum frontibus, aulis academiarum. In vxoris siquidem breue, sed insigne præconium erupisse vocem illam terrarum omnium Principis. *Hoc os ex ossibus meis, & caro de carne*, cum reliquis: haud oscure testantur Augustinus in genesim cap. XIII. & Chrysostomus in primam Corinthiorum ad cap. XIV. Idem enim Sapientissimis illis videtur, ac si dilucide sic fuisset effatus. *Hæc est Sempiternæ sapientiæ, ac pulcritudinis typus, fortitudinis, ac temperantiæ Simulacrum; diuinę erga me charitatis compendium; mulier vere ad totius orbis efformata principatum.*

De varia scriptione, ac deductione huius nominis.
CAP. II.

TRiplicem huius nominis deriuationem apud Grecos reperij. Primam .s. ab eclego, quod nobis est eligo, vnde Eclogium. Alteram à lego, vnde legion, & addita præpositione Ellogium: quapropter ellegimos anir, dicitur vir elegans, ac eloquentia præpollens. Atque ita Eclogium, siue Ellogiũ erit vel INSIgniorum laudum delectus, vel sententia quędam illustris, aut insignis aliqua commendatio. Qua ellogij, siue eclogij compellatione præsignandas censerem Insignes obiurgationes, seu accusationes Encomiasticas. Qualis illa qua Alberici eloquentia superioribus fuit annis laudata, cuius principium erat. *Quod in nullo accusari possis reuses*. Item quętimonię, qualis illa. *Excipe sinuosis Cœlorum tractibus Echo ferales eiulatus meos*. Item Eclogia exemplaria, quę nuper edidit GADDIVS auita nobilitate, calamoque pręclarissimus. Quamuis tum ille, tum quilibet alius vulgatam Elogij nomenclaturam secuti, hanc deriuationis proprietatem absque reprehensione neglexerint, quemadmodum qui ab eu, quod est bene, & logos quod est sermo deductum eulogium eraso y scribunt elogium.

Cęterum hanc iuxta deductionem EVlogium erit insignis commendatio, vel testificatio, quæ, & Sem-

& Semnologema, atque idem si nomenclaturam spectes; ac Euphimia, quæ est bona fama, vel honorificus sermo, vt in Cap. XXXVI. de acclamatione.

In priores elogij deriuationes prospexisse visus est Cicero in Catone; quum Solonis dictum, negantis se velle mortem suam amicorum dolore, lacrymisque carere, nuncupauit elogium.

In eandem quoque vim etymi, ac deriuationes spectauit D. Augustinus, qui in Ser. de SS. nostræ campellat infelicitatis elogium diuinum in Euam decretum. *PARIES in dolore*.

Nec longe recessit Budæus, quum in forensibus nominauit elogia litteras Clericorum testimoniales.

Ex tertia vero deductione hoc Tullius Calatini profitetur elogium 2. lib. de fin. *Illum fuisse Populi virum primarium*. quo titulo digna mihi videretur honorificentissima Tigranis deuicti apud Velleium testificatio lib. 2. scilicet.

Non esse turpe vinci ab eo, quem vincere esset nefas; neque ei inhoneste aliquem submitti, quem fortuna super omnes extulisset.

Hoc etiam nomine designatur apertum conuicium, quod Quintilianus lędóriam appellat, dummodo argutum, aut graue, & paucis multa perstringens. Tale existimares hoc Sallustii in Patricios Rom. *Homines sceleratissimi, cruentis manibus, immani auaritia, nocentissimi, atque ijdē*

 super-

superbissimi, quibus pietas, decus, postremo honesta, atque inhonesta omnia quęstui sunt. Vel illud M. Tullij in Vatinium, quem *Senatus odium reipublicę pestem nuncupauit*.

Obtrectæ quoque contumeliæ insignes, quas, & scommota dicimus, nonnunquam, appellantur elogia. eiusmodi est illa Pompeii in Lucullum; quem ob moles iniectas mari *Xersis togati* nomine irrisit apud Paterculum lib. 2.

Ad hęc per antithesim inscribunt elogium expressam causam exhęredationis. Quapropter exhęredatum a se filium Pater elogio profitetur. *PRopterea, quod ipse meretricem adamaret* apud Quintil. lib. 3. cap. 5. Et a Modestino de re militari elogium sumitur pro vituperatione, cum quam Præses desertorem mittit ad suũ ducem; quo titulo digna Sanctę Crucis epigraphe, & quam damnatorum appendunt humeris criminum nota. Quin, & siope, vel eulogia interdum dicitur veneratione tantum loquax silentium; quo tacendo, & admirando colimus, quem pro dignitate diffidimus posse dicẽdo celebrari.

De Eulogij descriptione.
Cap. III.

COEteris demum posthabitis huius interpretationibus nominis, vt e definitione affectiones elogij deprehendamus, & quæ ad ipsius

ſius characterem ſpectant breuiter narremus. Elogium proprie compellandū cenſere m BREuem, & inſignem commendationem. minus proprie vero, quicquid ſelecti, atque arguti, ad elogij naturam proxime accedit, hoc enim pacto complectemur etiam elogia exemplaria.

Breuitas elogium a panegyrico, atque hiſtorica narratione ſecernit, quod ſeq. capite.

Inſignem commendationem intelligo, tum rerum pondere, laudumque præſtantia, tum ſchematum, elocutioniſque ſplendore, ac dignitate. perinde quaſi exprimendi character elogium ſeiungat ab alijs generibus exornationum.

Nec miretur quiſpiam, cum laudes non probra tribuerim elogio; licet enim elogium, modo laudes, modo criminationes complectatur; interdumque ſumatur pro ſcripto mixto *ex* vtriſque; tamen, quia plerumque laudes proſequitur, & a parte nobiliori, INSignis breuiſq; commendatio gaudet elogij titulo: eadem ratione nimirum, qua demonſtratiuum dicendi genus, & ſi præconia, & probra exequatur; nihilhominus encomiaſticum dicitur a parte digniori, Scalig. lib. 3. poet. quapropter obiurgationes, & encomiaſtica, quę ita latine dicenda ſexcentis conſtat, amice, teſtimoniis, non ęque libere, ac merito ſibi vindicant titulum elogij.

Dixi rerum pondere, laudnmque præſtantia, reddi eulogium inſigne. id, quod OPTIMI Ti-

culus Imperatori Traiano attributus demõstrat; cuius vim alibi ex Plinio Panegyrista, & cognomentum MINORIS, quo Beatissimus Pauperum Patriarca suam testatam solo, cęloque voluit humilitatem; vt propediem deprehendes ex IRIDIS meę SERAPHICÆ. Panegyrico 2. quæ hic desiderares subsequentia capita identidem suppeditabunt.

De Generibus Elogiorum.
Cap. IV.

COEtera elogiorum genera aliis relinquam, tribus ipse contentus; nimirum Historico, Genuino, & Poetico. Etenim exemplare, quod nuper commentus est Gaddius, tum poetico, tum genuino charactere potest exarari. Oratoria vero ipse ad encomia libenter reuocarem. Historica mihi quondam visa fuere Anachoritarum elogia, quæ, ni fallor, ex D. Benedicti Cœnobiis in lucem litterarum edidit Iac. Cauaccius Patauinus cum eorumdem PP. iconibus cedro digna. Item quædam ex elogiis Torgerii. Historica, quæ Iacobus Gaddius de *Florentinis militari virtute, vel Principatu illustribus*, tantopere a plurimis eruditissimis viris concelebrata, atque his omnibus plerũq; non alio forsan, quam antiquitatis nomine digniora elogia Pauli Iouii, de quibus capite IX. Huc reuocant aliqui elogia

THE-

THESAVRI. & PONÆ de XII. Cęsaribus; quibus quominus assentiar, efficiunt paronomasię, atque apophtegmata frequentissima, & vno verbo stylus nimis elaboratus. Non enim sat est ad historicum Elogii characteré, res gestas quoquomodo narrare; nam, & a Panegyristis narrantur res gestæ, sed Panegyrico stylo. Quid autem intersit inter Oratorium, & Historicum; nemo melius expressit, quam Famianus Strada lib. 2. prolus. 3. qui facinus memorabile tripartito, historico .s. oratorio, atque poetico stylo complexus est.

Poetica existimarem ea propemodum omnia, quę Hieronymi PRÆTI. ANT. Brunii, Francisci Balduccii Lyrica exornant; picta, luxuriantia; inter quæ castissimum illud mihi quam maxime probatur, quod Italicæ facundiæ decus, Io. BAPTista MANZINVS nomini non minus Balduccii posuit, quam suo, in album iam æternitatis relato. Genuina, styli elaborati ab omnibus, diiudicantur elogia superius laudata Francisci Pona, Thesauri, Gaddii, & aliorum, de quibus Capite VI. quorum aliqua proprietas, & nitor; alia cultus, & splendor, alia breuitas, argutia, & eruditio commendant. Trium horum pręcipue elogiastarum exempla in medium proferam ad imitationem, & eorum, quę dixero explanationem dilucidiorem.

Vt vero innotescat, cur poeticum ab histori-

co; genuinum autem ab vtroque seiunxerim, de vniuscuiusque stylo pauca differere constitui.

De Historici Eulogij Stylo. Cap. V.

MAgnorum virorum auctoritate constitutum, vsuque iamdiu receptum discrimen inter poetica, & historica elogia neminem exagitauit. multum vero forsan torquebit tertium hoc genus, quod genuinum, vt capite subsequenti, siue elogiasticum lubet compellare: Sed agite, o Aristarchi recẽtiores, cur licuit aliis seiunctũ aliquod peculiare genus elogii a Poesi, atque Historia desumere: nec licet mihi ex vniuerso elogiorum genere speciem aliquam discretam, ipsiusque elogii propriam constituere? Verum de hoc alibi fusius, nunc ad seriem, rei, quam capitis inscriptio prẹsignat.

Magna de historiæ charactere apud dicendi magistros est controuersia, mitto impræsentiarum breuitatis ergo quẹcumq; Paulus Benius ad historicum informandum, coegit; his me prorsus addicens, quẹ ex Famiano Strada, omnium literarum viro deprehendi.

Docet ille prolus. 3. lib. 2. prospiciendum esse finem, ad quem scriptor collimat in delectu verborum. hic vero cuique scriptorum est peculiaris. Sedenim enimuero cũ Poetæ admirabile;

Ora-

Oratori persuasibile, historico verum sit propositum; vnicuique etiam debet esse constitutum iis verborum præsidiis insistere, quæ admirationem, persuasionem, veritatem in loco iuuent. & omissis iis, quæ nobis minus ad rem de persuasione. Plausum, & admrationem excitat lęta dictio, granditas, verborum pompa, peregrinitas vocum, nihil non oblitum pigmentis.

At veritatem simplex, & ęquabilis decet oratio: nihilquę magis commendat vera dicentem; quam sinceritas elocutionis, quare *condonet*, inquit ille, *Historicus Oratori flexanima verba, Poetę peregrina, & numerosa; sincera vero, atquedilucida eximat sibi*. Vnum enim historicis cum Luciano propositum esse profitetur, vt plane, ac simpliciter enarrent; & quam clarissime rem vti est ponant ob oculos. Scribenda igitur est ex ipsius sententia, non ambitioso, & circumulato, sed sincero, placideque fluenti genere orationis historia; ita vt neq; efferatur, nec repat.

Hęc equidē merito de historia. Sed historicum eulogium aliquantulo elatius adamarem, breuioribus periodis, nec paronimiis refertum, quę sine magno labore, & solertia non comparantur, etenim ELOgium esse debet: aliquid.s. historica narratione selectius, insignius: sed elogium historicum, vt non prorsus recedat a puritate, ac nitore characteris historici.

Ne-

Neque salebras, obscurioresue eruditiones admittat, quæ dantur genuini eulogii scriptori.

Naturali igitur colore viuidum, nec inartificiosum se præferat elogium.

In historico autem elogio illibatam fidem apprime commendarem: magnam vnde assecutus est laudem per immensos labores, IACOBVS GADDIVS in elogiis historicis, quæ Cęsar Cremoninus, Flauius quærengus, & alii eruditissimi viri impense laudarunt: quocirca nil mirũ, si nimium interdum minutus visus sit MIRIFICVS historicę veritatis cultor, & fidei supra elogiastarum morem amator; non odio, non inuidiæ, nec spei obnoxius, nec gratiæ; quin, & suos aliquando perstringit, quos potuisset cum aliis historicis tueri, vt constat ex elogiis Lucę Pittii, & Card. Nicolai Gaddii.

Sed quãdo huius scriptoris fragmẽta quædam, forte ad manus delata, vtiliũ animaduersionum suggerunt argumẽta; ea ne grauemur perpẽdere.

In elogio, quod de Luca Pittio exarauit, atq; in aliis nonnullis, non se in decora, & res præclare a maioribus gestas effundit; sed subinnuisse contentus, quod lex postulabat elogii, quæ subinnuerat illustrat notis, ac nihil desiderandum relinquit curiositati.

Discamus hinc elogiasticę breuitati per rerum compendia insistere, & adnotationibus, tum historiæ, tum eruditionis tenebras dissipare. Hoc

præs-

præstitit ipse in laudatis elogiis, & in Corollario Poetico. Hoc Comes Antonius Flaminius BARACCA suis in elogiis acuminibus, & eruditionibus prelo, plausuque dignissimis.

In Eulogio v. VERII Cerchii fortitudinem eius, ac bellicas laudes concelebrans, verba ipsamet profert, quibus se, & filios, tantus bellator primus inter vulneratores coniecit; nimirum, *Me sequatur quisquis patriam amat*. nec immerito; etenim pauca, & grauia. Attamen de Luca Pittio scribit verbis quidem amplissimis laudatū, & decretis honorificentissimis honoratum, non tamen verba, aut decretorum sententiam, vel strictim commemorat, sed differt ad Notam IV.

At vero num laudabile, verba referre, quibus aliquis ab insigni viro fuerit cōmendatus, tanquam grauissima virtutum, & meritorum eius testimonia? Equidem, si grauia, si illustria, ac memoratu digna, vtique interserenda ellogio censerem. Gaddius ita in Elogio Virginii Cesarini, vbi excribit iudicium Card, Bellarminii de tanto viro. in maximam enim Phocionis gloriam caderet præconium Demosthenis, quo *RATIONVM suarum securim* Phocionem prędicabat.

Cum autem in elogio Iacobi Pactii, de illius promeritis hanc tantummodo fecerit mentionē. illum .s. Ducem agminis Equitum Florentinorum in Arbiensi prælio fortiter pugnantem, proditum

ditum ab vno è suis equitibus; ac manu, qua Vexillum ferebat a tergo obtruncatum, nec progrediatur ad alia; num iniicit elogiastarum calamis manum, quo temperent nugis, quo exilia pretereant, libantes insignia? ab vno enim egregio facinore; a supremo aliquo dignitatis gradu, cętera præconia, & decora possumus coniicenda relinquere. Sic in Epitaphio Annæ de Spina Suueertius, sic Venusinus Carminum lib. 1. od. 1. & Martialis de Amphitheatro Cęsareo paucis, sed pręstantissimis, rem quam laudant extollunt.

Superest modo, vt, num censeam, intermiscendas historico elogio sententias edisseram. Hoc nomine, procul dubio, Sallustius, ac Tacitus vellicantur; quod crebris nimium sententiis exuberent: quapropter, sicut historicæ narrationi, perrarę quædam, vęluti stellæ, splendorem, & gratiam videntur conciliare, sic, & eulogio, tum vero quã maxime commendandę; cum aculeis ad virtutem, & immortalitatem extimulant. At vero non indulgendum genio, neque coaceruandæ ad ostentationem pręceptiones politicæ.

Gaddius in elogio sępe laudato de Luca Pittio, vbi narrauit octogenariũ decessisse, subtexuit, *Gloriosus profecto, si conspirationis obijsset in exordio. s. integra fama potior vita, & mors interdum tuetur partam gloriam, quam longa vita la-*

be-

befactat. Imitatus Velleium, qui eadem fere de Pompeio lib. 2. Et sane in cap. 19. mihi multum laudabitur, ne dum in genuino; verum etiam in historico elogio dictum aliquod illustre, in quo perinde, quasi fax sub extrema, quam ãte splendidior, expiret elogium. Hoc vero eo illustrius, atque argutius erit, quo breuius: leporé enim, & argutias perdit prolixitas operis, nec argutum esse potest, quod funditur latius, vt Vinc. Gallus admonet capite 21. de Epigr. plura de hoc alibi.

Sit pro auctario perquirere, num iure ab historicis exploderim elogia THESAVRI, & PONÆ. de XII. Cęsaribus, quę non nisi meracam referunt historiam, rerum .s. narrationem a nostra, vt inquit Tullius lib. 1. de inuent., memoria semotarum. Et sane, cum fere omnium assensu, rerum naturalium historia nuncupetur, quam legi pedum, Lucretius, adstrinxit; cur non compellanda historica, ea, que nunc laudauimus elogia?

Equidem nil morans huiusce rationis momenta. elogium historicum iudico, quod stylo non multum elaborato, neque tamen incompto, & neglecto, procul à pigmentis poeticis texitur. eodem pacto, quo, & epigramma dicetur argutia carmine expressa. quod sibi haud vindicabit nomen, si prosaico sermone exarabitur. Nitor Ciceronis verbis, & auctoritati, apud quem

M. An-

M. Antonius Poetas, se ideo profitetur auersari, propterea quod aliena quadam lingua, sibi viderentur locuti. lib. 2. de Orat.

De Genuini Elogij Stylo. *Cap. VI.*

SEntio equidem quam arduum sit, peculiarem aliquam sedem, ac stylum elogio statuere; attamen statuere par; imo necesse est. neque enim decet elogiastem modo apud Vates, modo apud Historicos, nunquam in propriis laribus diuersari. Quæ oppido THESAVRVS, quæ PONA, REMONDVS, ac pleraque eorum, quę PIGNORIVS, quæ GADDIVVS edidere, non poetico, nec historico elogii stylo, sed Genuino, aut Elogiastico mihi existimantur efformata. *Ex* ellogiis Francisci PONA ad GADDIVM Genuina iudico Elogia Clementis *VIII.* Andreę Mauroceni, Iacobi Suriani, & alia. De Clemente sic ille.

CLEMENTIS VIII. SVMMI PONT. Eulogium.

CLemens Pontifex a Petro Maximus, Fidei vindex acerrimus ad vltimas quoque gentes propagauit Aldobrandinæ nobilitatis famam, iam euectam ad summum. Supremam ad sedem voca-

tus

tus, virtutem, non obsequia vocauit ad Purpuram, scatentem vitijs aulā pudori restituens, dignitatibus candorem conciliauit, Maiestati iunxit comitatem, integritati doctrinam. Summus in omnibus, Auaritiam opum affectum raro strauit triumpho. Plumbeo seculo Mæcenas Aureus fuit: Pro re pro tempore CLMENS, SAEVVS.

De Iacobo SVRIANO hęc, vt cætera omittam, elogio 66.

Cuius non ad proprij commodi studium, non ad luxum, & pompam; sed ad Vrbis vtilitatem, prouida in bonum publicum pietas.

Cuius virtutes, inter fortunæ blandimenta diuinum pene hominem exprimunt, non sibi regnantem, sed Principi, quamquam natum ad sceptra; pertinaci plausu persequimini ciues.

Videbis autem, tum in hoc, tum in Gaddio eiusdem generis eulogię charaterem, modo puriorem, ac minus elaboratum: ita vt prope ad historicum accedat: modo vero sublimiorem, ac magis excultum. non enim vna est genuini elogii forma: quo circa considerandæ sunt scriptorum locutiones, introspicienda consilia, artificia, ad que nos si intelligantur informant. hoc Suriani multum cedit de cultura, argutiis, & iucunditate elogio Clementis Sum. Pont. In his certe pangendis habenda est eorum ratio, de quibus scribimus, accomodandus dignitati, rebus narrandis

randis character: ne pauper Thelephus proijciat ampullas.

Quin etiam animaduerti allusum fuisse elogiastica dictione ad eius dictionem, qui laudabatur auctoris. Ita sane Gaddius de Zoroastro, Iosephus Laurentius de Pindaro.

Multum vero simile videtur epigraphę elogium, quod eidem SVRiano stitit paulo ante laudatus, nunquam satis Franciscus PONA. non piget illud excribere: quando libellus iste elogiorum eius ad Gaddium vix mihi commodatur ad diem.

NICOLAI CONTARENI EX PONA.
Elogium.

Nicolaus Contarenus Patritius Venetus, Senator amplissimus, Reip. historicus, Archigymnasij moderator Patauini, disciplinarum puriorum peritissimus, vita sanctimonia clarissimus, sui ęui non modo, sed & priscos omnes historicos certe aequauit, forte etiam superauit, supra Taciti Liuij que aleam positus, sui non alienus imitator. Bellis impendentibus consilij serenitate diluit tempestates, eloquentia, auctoritate, prudentia secundus nulli; mira sermonis efficacia ad agendos quacumq; animos. Eius vita probitas, eius natura benignitas. Tantum virum decus humanitatis seruent Dij. Seruent ad aeuum.

Ho-

Horum, quę adhuc exegimus, partim pura, nec multum sublimia, aut argumentosa, partim elaborata, traslationibus insignia, paronimiis iucũda, & cõtrapositis, quasi pugiunculis se mutuo ferientia.

Sed Iosephus Laurentius Eruditionibus, mysteriis fabularum, non lusibus nitens, hoc Augustino Priolo statuit.

Eulogium.

AVGVSTINO PRIOLO

ALexicaco magnanimo Augiæ tot errorum stabula perpurganti, Hermę paciferi, Palladis oliuiferæ prænuncio; Togam sago, hastæ caduceum, laurum gladio præferenti, ferratos furiarum postes, Ianique limina præcludenti, &c.

Et in nuncupatorio ad Io. Bapt. Spadam. *In auidas Harpyas Aquiloni cœlitus irruenti, forensium causarum fluctibus concitatis Tyndaridæ lucidissimo.*

Neque tamen perpetuis eruditionibus omnem prorsus obruit iucunditatem; quod in longiusculo elogio culpa non vacaret, nec semper incedit obductus frontem inuolucris fidem faciat hoc.

MARCI IVSTINIANI EPISC. CENETEN. *Elogium.*

M. I. *Viuo virtutum Asylo, cuius in atrijs ordine longo Maiorum stemata, Ceræ quamplurimæ censentur; laureæ, palmaque non tralaticiæ, sed genuinæ postes exornant, fama gloriæ limen vtrumq; occupat.*

Cuius in aulis encyclopędia sessitat, in adytis pietas religionis iura præscribit: hinc merito laureæ successit infula; vt quæ laureatus didiceras doceres infulatus. Pontificiæ in te dicendi veneres Pontificios honores peperere, vt violæ rosa succedat, quã merito rosis coronandus, qui loquitur rosas.

Hic vero, quando laudatissimus vsus inualuit dicandi, vt inscribunt Theses, ac Theoremata, per eulogias: bonum factum censui commonere, vt abstineatur obuia a titulorum serie, quæ coquinas vsque penetrauit. *Præsidi Vigilantissimo, Patri amantissimo, eruditorum eruditissimo, Charitum Coriphæo, Musarum alumno, Phœbi corculo, Palladis ocello, Senatus pupulæ, Patrum Catoni, Parnassi delicio.* quorum permulta grauia imprudenter aptantur adolescentibus, vt ita dixerim, quædam puerilia Nestoribus, quod in Epitaphio Barthol. Latomi cap. 31.

Spectetur in omnibus decorum. nec denso compellationum agmine obruantur quorundam homuncionum nomina.

Sunt

Sunt ne adeo solemnes pręter eos, quos recensuimus, tituli MOECENATIS, MVSARVM, ERVDITORVM, AVGVSTI, &c. omnibus adeo communes, vt absque his nullæ dicatoriæ condi, & cuique possint aptari? Parum mehercules ornamenti, ac decoris videbitur consequi eloquentissimus, idemque munificentissimus LAVREDANVS, cuius aula Musarum Asylũ; si litterarum MOECENATIS titulo, quondam grauissimo, nunc omnibus obuio compelletur. Atque hinc fit, vti vel compescenda sit assentatio; vel nouæ excogitandę formæ titulorum.

In acclamationibus igitur, quę extemporaneum aliquid videntur repręsentare, non reprehenderem liberalitatem scriptoris, quem tamen in elogiis parcissimum vellem huiuscemodi compellationum. Non enim vnum post vnum, in exornationibus commendatur; sed vnum, quod ex vno, & ad vnum progreditur: nempe ad excitandam, pro viribus, admirationem. meum habes de Beatissima Virgine in miscell.

Deuitandam etiam suadeo planam, atque a dandi casibus inceptam, iisdemque absolutã dicatoriam eulogiam. Summę enim laudi, non religioni tribuitur ab vsitata dicandi forma resilire. Sit positus nobis ob oculos ad exemplar Catullus, qui inscripturus Cornelio libellum, ita elocutionem exorsus est ab interrogatione, quæ parit iucunditatem.

Quoi dono lepidum libellum, &c.

sueque interrogationi respondit. *Corneli tibi:* ac deinde ad captandam beneuolentiam in laudem eius digreditur, quantum epigrammatarii sinit conditio. paulo enim liberiores in suis nuncupatoriis sunt Elogiastæ, quam Epigrammatarii. quamuis nec illi possint in laudes cum Dynastis effundi, qui prolixa, vel speciosa fastidiunt: quibus cum paucis vtendum præ dignitate. Quapropter abstineant frequentissimis superlatiuis, quibus vtrumque occupant marginem, qui minimam quamq; procurationem, & honoris vmbram in nuncupatoriis elogiis sesquipedalibus literis exprimunt.

Neque tricas legentibus perstruant compluribus antithetis. perarduum est enim his diu ludere citra abiectionem, vel obscuritatem. hinc Persius.

Crimina rasis librat in antithetis.

Possem elogia nonnulla in medium afferre, diffiua, exilium, nugaciumque contrapositorum serie ita prępedita, vt oculos auerterent vixdū semilecta. Sed satius, scriptores illorum admonere, graui vt aliqua compellatione, peregrina, aculeataque vna, aut altera metaphora, vel antithesi contrahant, quę tot nugis protendunt.

Nitatur itaque elogiastes ingenio, peregrinas vti sententię suę narrationes inueniat; earumque delectum habeat, quę est laus iudicii, non enim

om-

omnium est eadem florum venustas, & quemadmodum ex his eo fiet pulchrior fasciculus, quo exquisitior delectus, quo artificiosior dispositio ita ex metaphoris, schematibus eo prestantius compingetur elogium; quo hec magis selecta acriorique iudicio collocata. Vnus enim delectus est, qui admirationem comparat; illa vero nominis immortalitatem.

Collibet modo ad exemplar in medium afferre Vincentii Diuini, & LÆLII Guidicionii Eclogia, licet cultu disparia.

DE MARCELLO IOVANETTO VINCENTII DIVINI Eulogium.

MARCello ?. pro quo Tagus, Arnus, & Tyberis pro vario idiomate vnanimiter certare non desinunt. hic hederaceam, ille Myrtheam, Lauream tertius Coronam libentissime spōdet. Ast Phœbus vnuscuiusque victoriæ arridens Musarum Choro acclamante ternis æque Coronis vnius frontem, &c.

Planior fuisset sententia.

Marcello Iouanetto, Etrusco, Latino, Lusitano eloquio prædito.

qua despecta scripsit non iniucundus elogiastes,

Pro quo Tyberis, Arnus, &c. perpetua ludens allegoria. Animaduertas autē hanc troporum

 se-

ſetiem tenebras nullas, quod rarum eſt, offundentem. Eſt hic Metonymia ſubiectę rei. *Tybridis* .ſ. pro Latii cultoribus, hoc eſt, pro Latia lingua, per proſopopęiam, vt quidã exiſtimant. Cui flumini, cum ſenſum, & actionem tribuat; vtitur metaphora ab animæ prædito, ad inanimatum. *Lauream Coronam* vſurpauit pro gloria Latinæ poeſis, per metonymiam adiuncti a ſigno, ad rem ſignificatam.

Quod ſi breuius, & elegantius deſideres; ita concinnabis.

Marcello Iouanetto, pro quo Tagus, Arnus, & Tyberis de vario idiomate certant, hic hederaceam, ille Myrtheam, Lauream tertius ſpondens Coronam. At Phœbus vniuſcuiusque arridens victoria, acclamantibus Muſis, &c.

Eradendã cenſui hęc verba *vnanimiter, non deſinunt, ac libentiſſime*. quia omnia perſtringit verbum *certant*; ſubrogaui particulam, DE, ad variandam locutionem. nec paſſus ſum intercedere dictiones, *victoriæ arridens*. ac demum placuit mihi potius *acclamantibus Muſis*, quam *Muſarum choro acclamante*. etenim hæc obruebant acumen, quod PAVCIS, quaſi flammula quædam conſurgit: multis vero diductum euaneſcit.

Hinc deprehendas vicem acuminis ſibi vindicare explicatam ingenioſe, ac luculenter ſententiam; quę ſecus deſcripta, nullos haberet aculeos.

os. non enim ſemper in promptu ſunt dicta,quæ animum pugiunculis dilaceſſant. Atque hac de cauſa, cum definirem elogium, dixi *BREVEM commendationem, qua præconiorum pondere, quam forma elocutionis inſignem*. potius *quam argutam*. Vide Abb. Lancillotti eulogium in miſcell.

Fateor autem, me neutiquam eſſe ab iis, qui minus elaboratum, cæteroqne nitidum, & ſucci plenum ab hoc,quo de agimus genere ſecludunt elogium. non enim cuique præſto ſunt paronimiæ rapientes,argutiæ vulnerantes. nec ſemper, aut ocium,aut genius ſinet vermiculati operis inſtar elogium pangere. Non ludit agnominationibus, non attollitur translatis, non conflictatur antithetis? quis hæc ſemper vſurpanda inuiolabili lege ſanciuit?

LAELII GVIDICCIONI DE CASTRVCCIO A IAC. GADDIO LAVDATO. Eulogium Illuſtratum.

QVid te amplius Caſtrucci prædicem ciuis tuus, quam tuus de te hoſtis predicat? Exorditur Guidiccionius elogium per allocutionē ad Caſtruccium, cuius decoribus celebrandis ſe fatetur imparē; quippe qui tantę fuerit virtutis, vt laudem ab hoſte prometuerit: ac talem, qualem ab ipſo nequeat expectare. quapropter cum laudibus illi a GADDIO tributis, nequeat adij-

cere gratulatur patrię suæ nouam lucem, ac suam Florentiæ generositatem; quę in argumentū gloriæ traxerit acceptas clades; suam pietatem, quę vel hostem laudibus exornet. deinde sub oculis ponens collatam inter se vtriusq; virtutem, quo magis beneficium promineat, specioso redit lusu ad allocutionem, admonens, quanti sit beneficii vinculo obstrictus ab ea, cui vincula seruitutis intenderat. ac demum eo trahit orationem, vt expiret in celebratione virtutis tanti bellatoris, & GADDII per Metonymiam a re subiecta, nempe ab Etruria, cuius peculiarem virtutem attingit, quę est omnium maxima, religionem videlicet, quæ dilectionem pręcipit inimicorum.

Per partes nunc argumentosum hoc enarremus elogium.

Quid te amplius, &c. Vtitur elogiastes propositione, quæ cum claritudinem afferat, indicans rei qua de agitur argumentum, commendationem meretur, quandocumque ingeniose collocari potest in ipso exornationis principio. efficit tamen breuitas, vt sæpe desideretur: in elogio est autem propositio per interrogationem aptissima ad animos excitandos. Ita ipse permulta, & præsertim hoc elogium Bernardini MARINI docti, atque integerrimi viri. Canon Mutinen.

Ergo ne dum præsentium linguis, sed & absentium

tium calamis, tua inbibebis prȩconia MARINE suauissime?

Arduum est præradiantis supprimere virtutis elogia, ipsa de se dum loquitur virtus tacita verbis eloquentissima factis.

In nuncupatoriis eulogiis, quas adhuc viderim ab vno Torgerij, dumtaxat, Propositio exitum dedicationis occupat: quis autem prohibet cum Catullo sisti eam in ipso nuncupatoriæ vestibulo?

Cȩterum ad rem. Contentus breuissima, atque artificiosissima propositione, qua vtriusq; laudes se tractaturum, diuersa ostendit ratione, a Castrucci decoribus viam sibi munit ad GADDII præconia, quasi aliud agens: vt non dedita opera, illum a se laudari demonstret, quominus accersita, ac proinde gratior sit commendatio. illa enim iucundissima, & fide digna videtur, quȩ non extorta, quæ non nomini; sed virtuti attributa potest existimari. quapropter non aperta, vt cȩteri, qui de vtriusque elogiis verba fecere, qua in oratoriis, qua in mixtis, sed laudes eius, quē inuidiæ & obtrectationi fatū exemerat manifeste; GADDII ad quȩ præsertim collimat encomia, latenter se prosecuturum subinnuit.

Exorditur vero ab excusatione qua, dum eorum vtrumque extollit laudem, sibi vindicat modestiȩ sui ex attenuatione styli quem GADDII calamo profitetur imparem, perinde quasi

illum

illum, adeo omnibus esse numeris absolutum intelligat; vt absolutiori se scripturum diffidat.

Attingit itidem GADdii magnitudinem animi, qui virtutem, vel in hoste suspiciens, debitis haud fraudarit prçconiis. id quod laudis est non vulgaris argumentum. atque hoc pacto, nedum quē laudaturus est; sed cur, & vnde laudaturus videtur indicare.

Tibi Florentia gignit florentissimos laudatores.

Quis iste sit hostis aperit; ne locum varietati, atque elocutioni, hoc est iucunditati, & dignitati prçripiat: quocirca ab hac aperta narratione abstinuit in propositione, vt ansam haberet in vtrius se laudes insinuandi, ac primum in GADdii promerita per analogiam deriuati nominis cum incremento laudis, per emphasim superlatiui, quod laudes, & orationis dignitatem adauget, vt Cic. pro lege Manil: in ipso limine exordii.

Ille campus calamos olim ferreos feriendo tibi, aureos efferendo nunc germinat.

Edisserere par erat cur hostis. suo ne, an patriç nomine: vt beneficii magnitudo, & artificium elogii magis elucesceret, dum non ad ipsius GADdii, sed hostis ad nomen se contulit, exorsurus narrationem. inde enim nunc praconiorum segetem indicat proficisci, vnde seges olim telorum.

Hinc autem primũ deprehendas ingeniosam adin-

ãdinueniendorum acuminũ rationem, non enim plana incomptaque oratione, verum paronymia contrapositionibusq; exculta rem narrat. Multũ enim interesset inter simplicem hanc, puramque locutionem. *alios alia, me summopere delectat gloria poesis* & elocutionem Horatij Od. 1. lib. 1. Car.

Sunt quos curriculo puluerem Olimpicum
Collegisse iuuat;

Odaque 7. eiusdem.

Laudabunt alij claram Rodon, &c.

Animaduerte igitur, antitheta *Calamos ferreos feriendo, aureos efferendo*: & in his per commutationem syllabarum paronomasiam. quę Castruccii laudes, & elogium exornat. atque hic Velleium consulas de Ciceroue à Iulio Cęsare commendato, lib. 2.

Nota quale ad genus armorum se se conuerterit; quo lepiditati locum inueniret. ad hęc iucunditatem, asperitatem contrapositorum, *ferreos, aureos* ad energiam conspirantes.

Viden vt sublime volans GADDII calamus te in cælum euehit?

Totum eclogium est allocutio ad Castucciũ, quem tamen per interrogationem rursus excit tamquam ad aliquid mirabile. *Viden vt sublime, &c.* atque hæc ad absentes. perinde, ac si coram essent allocutio tertia quibusdã videtur species prosopopęiæ.

Hic

Hic animaduertas concinnam, & pluribus metaphoris sibi semper consentaneam allegoriam. huc enim prospicere debent cuiuslibent rhetoricę exornationis scriptores, vt s. qua exorti allegoriam sint, eadem finiant metaphora. Multi enim, vt notat Quintilianus lib. 8. cap. 6. cũ initium a tempestate sumpserint incendio, atque ruina finiunt; quod vitium crebro recentiores quidam incurrunt.

Viden. synęresis est, quæ duas in vnam syllabã cõtrahit, vt capsis pro cape si vis, hęc tamen adeo licentiosa, raro, nisi extra carmen vsurpanda; illa frequenter. Ista vero interrogatione doceamur, non solum cauere, ne vnquam oratio desidat; sed eniti, vt ipsa se se attollens excitet, ac rapiat legentium animos.

Animaduertamus etiam in priori contrapositionis parte semel adhibuisse CALAMOS, nec in altera repetiisse: sic *tibi* feriendo, nunc efferendo, nec *tibi* iterum suffecit per eclypsim, tam in nomine, quam in pronomine, cuius est hæc vis, vt partem orationis, quę facile subintelligi valeat, non solum absque reprehensione, sed cum laude prætereat. De hac Vincentius Gallus in Rhetore lib. 3. cap. 10.

De

De Poetico Elogio, & eius Stylo.
Cap. VII.

CVM Poetę potius picta, quam solida placeant; nec peregrinas vnquam formulas, audacesque metaphoras, quibus se legentibus admirabiles reddant, desinant indagare: nemo ambiget, poeticum ab historico, & genuino Elogiaste multum dissidere. is enim exultans, & quasi iactabundus frequentissimis, & audacissimis traslationibus vititur: tantum abest vt pressus, modestusque sit, pluraque dicens quam dicat. totus siquidem in admirationem, & luxum compositus est. ludicris, lętisque rebus, multo cęteris aptior, vt T. Garzonius dissert. 160. de Epitaphio.

In hoc sedem adamant audacissimi excessus, continuatæ metaphorę grandiores, quas recentes aliqui vbique affectant arridente plebe, Patribus irridentibus. Quid enim quod nec hiscere, quidem ciunt, nisi per metaphoram, & immanem hyperbolem. detur hæc venia Pindaricarum odarum scriptoribus, & præcipue architectis equestriū prouocationum. meminerimus igitur decori syntagmatum, & quod in rem quàmmaxime spectat; nos poeticum quidem, sed poeticum elogium pangere, non poeticam odam. quapropter, si longius fuerit excurrendū, metaphoras abrumpendas elogiastæ suadeo, nec

nec Venusinum oda 14. primi lib. carm. imitarer. legas meam ad Sebastianum Galeottum acclamationem, & elogium Nicolai Bonaparte. Ex quibus intelliges mihi non existimari poetica illa dumtaxat, quę carmine conduntur; verũ liberiora ea propemodũ omnia luxuriantia, quæ pręseferunt Rhytmi Antonii BRVNI, Hieronymi PRÆTI, quodque de Dominico MOLINO Franciscus PONA.

Neq; admodum angit Vincentius GALLVS vir, cęteroquie suspiciendus, dum tradit elogium esse celebre dictum in laudem, vel vituperationem numeris inclusum. non enim loquitur generatim de elogio; verum de eo, quod inter poeticas exornationes connumeratur, quale sane quod ipse de Lauro protulit ex Marone.

Filius huic iuxta Lausus, quo pulchrior alter non fuit, &c.

hoc namque, & alia complura metrica syntagmata censuit reuocanda ad Epigramma cap. V. opusc. de epigrammate.

Sed posset quispiam ambigere, num liberiori stylo, dumtaxat, an etiam audaci sententia, quę multum augeat, quæue affingat virtutes, vti liceat in poetico elogio.

Nulli dubium est, quin Poeta referat Polignotum illum, qui, vt Philosophus in poetica, meliores reddebat, quos exprimeret: ac proinde nemo, iudice me, inficiabitur poeticum elogiastem

aſtem poſſe res abſque reprehenſione in maius effingere : ſed non tantis exceſſibus;vt omnem ſibi prorſus abroget fidem;ita vt non ſolum qualis non eſt ; ſed qualis vix fingi valeat deſcribat Alcibiadem .

Fateor equidem excuſandam eſſe licentiam poetici elogiaſtæ : dummodo tamen non eo temeritatis procedat Eolo vti longe unetoſior iactet . *LEVIORES cuius laudes immobili ſat forent immortalitati.* vt recens quidam ſcriptor eulogiarum .

Licet autem liberior ſit metaphorarum vſus in elogio poetico, vt diximus, neque tam arcta locutio ; nulli tamen probabitur ſtylus redundans, qualem adhibuiſſe videtur Lodouicus Gnettus in hoc elogio Marcelli Iouanetti .

MARCELLO IOVANETTO .

IN Rhetorum pratis per eloquentiæ flores, api ingenioſiſſima . In Heliconidis culmine, ad Permeſſidos vndas dulciſſimo Olori, quem charites poeſis nutriere fauis ; quem Aoniæ virgines pro cunabulis proprio fouere ſinu , &c. Nemo enim erit qui non videat, commata illa *per eloquentiæ flores . AD Permeſſidos vndas ,* hic abundare.

Poeticæ locutiones ſunt in *Heliconidis culmine, ad Permeſſidos vndas , quem Charites, &c.* quæ caſtiores eſſent in aliis elogiorum generibus .

Cum

Cum autem non pauci sint, qui censeant, ita accomodandam esse orationem argumento, vt nequeat poema laudari, nisi poetice. id quod confirmant præfixa poematibus, adhuc pleraq; omnia poetica. hos redarguendos censeo : neque enim mihi sat constat, cur Virgilii virtutes, operum que ipsius decora, non valeant ore Tulliano celebrari. habes meum de Camillo Lenzonio, & moribus, & carminibus lepidissimo in Miscellaneis.

De Elogij breuitate.
Cap. VIII.

MAxima eulogij prçstantia; quin integra laus ipsius sita est in aculeata breuitate: ita, vt breuitas compescat, ne diffluant acumina. & licet ad aliquam panegyrici sermonis speciem elogia sensim accesserint; licet elogiorum titulum sçpe ferant circum ingentes iliades, tunc nihilosecius quam maxime feriet, atque ad se rapiet elogium, cum ad pristinam breuitatem spectauerit. quç hanc in rem conferant indicaturus euitandam Elogiastæ persuadeo sinonymiã, & verborum, & sensuum. Verbum inquam: vt *abijt, excessit, erupit*. Cic. in Catil. sensuum, vt *Perturbatio istum mentis, & quadam scelerum offusa caligo, & ardentes furiarum faces excitarunt.* idem pro Mil. elogium namque condit, non

pane-

panegyricum. Quorſum igitur illa, quę paulo ante reprehendi. *Eruditionis myſta Muſarum alumnus, Corculum elegantiarum, Palladis ocellus,* & alia id genus abydenis conſimilia bellariis, quibus imperitorum ſcatent eulogię; Cleocriticorum exuberant menſulę.

Inſicias enimuero, non ibo, aliquam huiuſcemodi compellationum argumento peroportunā ſubſequente aliquo lumine illuſtratam arridere, ac laudari: non tamen diffluam in ſeriem incurioſe digeſtas placere. Iure oppido Iuuenalis pertęſus exclamat.

Expectes hoc a ſummo minimoque. Saty. 1.

Conſpicare, quantūm dignitatis præſeferat hoc elogium; quantum Optimi Pontificis, qua virtutem, qua clementiam per alluſionem attollat. *Clementis VII. virtus inuicta ſola clementia ſuperata eſt.*

Contra vero, quantum repat hoc ſcriptoris anonymi.

DE BERNARDINO CICADA.

Huc properantes, huc feſtinantes
accurrite mortales,
Inſpicite, ſuſpicite, intuitote, &c. qua B. C. Seplaſiarius manu, labore, ſolertia, ingenio, inſumptu maximo, volens, lubens parat, cuncta prauidens, cuncta prouidens, vt Serpentes, Aſpidi, Phalangij,

Scorpiones, Tarantulæ, &c. circumforanea quæ scribere supersedeo, atque examinare. Satque censeo quasi e regione huic obiicere.

Elogium FRANCISCI PONAE De eodem B. C.

Confluite aduenæ, indigenæ accurrite; dignum hic sit Æsculapio, Phœboque sacrum. adhoc oculos temere vagos contrahite; B. C. Seplasiarius Theriacā, Mithridatium conficit, qualia nunquā prioris æui studium coagmentauit. Pompa prolixe diffluа, nihil humile spirat. Diuiniorem tamen habet delectum simplicium, ad luctuosa mortalium funera remoranda. Vos aduenæ, vos indigenę, si sapitis, inutili auri pondere commutatis Deorum muneribus, ad Nestoris senium Parcæ, vel inuita diem producite.

Reprehendet forsan aliquis repetitum ad eulogiæ calcem hortatum: taxabit etiam synonyma *confluite*, *accurrite*. Huic ego significatum cupio, magis interdum ad conditionem Finis peculiaris, quem nobis præfiximus; quam ad finē, & inscriptionem generalem respiciendum. quapropter cum hoc elogium sit inuitamentum ad emptores comparandos, de industria synonymis, & repetitione vsus auctor existimatur. sic rei de qua agebatur, natura expostulante. Illud potius perpendat, quam ingeniosa, & plena dignitatis

sit

ſit inuitatio.*dignum hic ſit Æſculapio,&c.* quantus præterea decor elocutionis in illis pompa prolixe difflua, nihil humile ſpirat, tu te ex his cętera.

Hæc ſunt ad quæ collineare debent elogiaſtæ ingenium, & ſtudium, quo ſi alterutro careat, vale dicat elogiis.

Si enim de me rogaretur, pluris ne dicta conſpicua, & arguta, an paronomaſias, & alia faciam ornamenta? Reſponderem cum Ariſtotele, & Quintiliano inanes eſſe paronymias, niſi ſententiarum pondere impleantur, & elocutionem eſſe comiten argumentationum. ad hęc, voces conceptionibus animi ſubſeruire quaſi internuncias, vt 1. de interpr. cap. 1. & 2. Rhet.

Quod ſi nulla ſit in paronymia ſententia, pondus nullum, quid comitabitur, cui deſeruiet elocutio? Exiliores prætereo. hac vna ad exemplum contentus. *Cuius minora ſunt merita, gentem meritis ingentem auitas inter numerare imagines.* quicquid enim vis addere videtur appoſitum, torum perdit ſubſtantiuum cui adiacet. mitto numerum, & ſonum tali caſu puerilem, improprietatem coniunctionis: quæ omnia euitaſſet ille ſcriptor incommoda: ſi omiſſa agnominatione, inſigne aliquod adtexuiſſet epithetum.

Mihi tamen aptius ad elogiaſticam breuitatem, & argumentum videretur ſic ſcribere. *Cuius minora ſunt merita Atauorum Imagines.* qui-

bus ad incrementum significationis potuisset etiam addere epithetum aliquod graue.

Hæc eo spectant, primum vt qui se ferientibus paroynmiis inueniendis minus sentit idoneum, alia nitatur via ad elogiasticam laudem: exinde vt discamus nobiscum animo agitare, ac perspicere, quæ illustria sint, atque grauia, eaq; ab his quę talia nobis primo aspectu videntur seligere. Vide eulogium Forstnerii cap. X.

Sed redeamus ad eas quas agitabamus rationes comparandę breuitatis. Assequetur hanc elogiastes, si vsus fuerit zeugmate, per quod a proximo assumitur quicquid orationi deest. Lęlius GVIDICCIONIVS inter GADDII Oratoria. *Gratulor*, inquit, *Vrbi Florentię, quę suam auget ex hostili nobilitatem.*

Si effugerit frequentes, quibus Polisyndeton affluit coniunctiones, vt *armaque, amiclęumque.* Maro, Geor. lib. 1. & si adhibuerit dissolutionem: tum in verbis, tum in sententiis.

In verbis, THESAVRVS in Tito. *Ante imperium ignauus, molestus, crudus; in Imperio gnauus, modestus, clemens.*

In sententiis, idem in Tiberio. *amabat vulta, hamabat manu.*

Polytoton vero, quæ est eiusdem nominis per casus diuersos variatio ad variandam elocutionis faciem, & molestiam leuādam laudatur, neq; enim multum officit breuitati.

At

At vero vſurpanda eſt cum ingenio, & iudicio, cauendumque prçcipue, ne per omnes caſus vagetur elogium, ſi vnam inter alteramque variationem prçconiorum aliquis ambitus intercedat. facile enim gignit moleſtiam, niſi pluſquam illuſtria, iucundaque ſint, quæ interponuntur. IVLIVS CÆSAR BAZARDIVS.

FRANCISCO MARIAE
Muſarum Corypheo
Cui per poeſis Campos, & eloquentiæ viridaria incedenti, aſſurgunt Vates, Charites arrident, ancillatur honos.
Cuius ingenio
Pieridum diuitijs affluente epica maieſtas, coturnata grauitas, Lyrica iucunditas, mirifice illuſtratur.

Maxime vero breuitatem iuuant adiunctiones, quarum ea vis eſt; vt vnicum verbum pluribus periodi partibus vna, eademque, vel quod artificioſum magis eſt, diuerſis ſignificationibus reſpondeat; Velleius lib. 2. *M. Perpenna Prętorius, gentis clarioris, quam nominis, Sertorium Etoſcę interemit: Romaniſque certam victoriam, partibus ſuis excidium, ſibi turpiſſimam mortem, peſſimo auctorauit facinore.* Iuſtinus item lib. 2. *Ita egregius adoleſcens & cædem Patris, & necem fratris, ſeque ab Artabani inſidijs vindicauit.*

Huic prorſus contraria eſt diſiunctio, ac tibi proinde euitanda. huius eſt exemplum apud Ciceronem pro Archia.

Tot annos ita vino Iudices: vt ab illo me nunquam tempore, aut commodum, aut ocium abstraxerit, aut voluptas auocarit, aut denique somnus retardarit.

Multum etiam confert ad breuitatem præstandam Emphasis.

DE EMPHASI.
Cap. IX.

QVÆ est figura plus significans, quam dicit; exemplo sit illud Maronis libro 2. Æneidum.

Demissum lapsi per funem.

Et lib. 3. de Cyclope.

Iacuitque per antrum....

Ex his enim altitudinem molis, & immensam Gigantis magnitudinem, licet haud quamquam expressam cognoscimus.

Hęc vero ad promendam admirationem, indignationem; & alias affectiones mirifica. Virgilius eclog. 3.

Cantando tu illum

.s. indoctus doctum? & 1. lib. Æneid.

Me ne incępto desistere victam?

Docet ad rem nostram Vincentius GALLVS Rhetoris lib. 3. cap. 27. Nomina quędam magnam energiam interdum habere, vt *Cretensi fidem?* Ita & quandoque pronomina. *Tu mihi,* iuquit

inquit Apostolorum Princeps, *lauas pedes* ? quæ si solerter adhibeātur, magnam eulogio laudem comparabunt :

Maximam autem epigraphis, quæ, vt capite 28. singulari debent breuitate propollere. Talem sane Zerbinus armis Orlandi supposuit; perbreuem .s. ac emphasis plenam : vt his versibus L. Areostus.

Escrisse su quel Pino in breue carme,
Armatura d'Orlando Paladino.

Quapropter, causam tentæ breuitatis edisserens, adijcit.

Quasi volesse dir, nessun la moua,
Che star non possa con Orlando a proua.

Nihil vero, meo quidem iudicio magis confert ad breujtatem, quam Metaphora .de qua, cap. XI. per hanc potuisset anonymus Cicadiæ Theriacę laudator Scorpios, Tarantulas, & cętera venenata mala in aliquam grauem metaphoram cogere, & illustri, breuique pręconio, dignitatem elogio, voluptatem legentibus afferre; quemadmodum enim exilia, nugacia contemptum, molestiam pariunt; ita sublimia, peregrina admirationem, voluptatem. Ejus enim humanus est couditionis animus, vt licet Tyrannidem oderit: Principatum non auuersetur: & quandocumque se iucunditatibus impeti, vrgeri acuminibus intelligit. vltro in obsequium, ac uenerationem concedat.

Inſpice cum quanta energia Chriſtiani Ciceronis laudes per translationes a rationali ad rationale paucis abſoluat. Irithemius de ſcriptoribus Eccleſiaſticis; hæc ille.

SANTISSIMI PONTIFICIS LEONIS ex Irith. Eulogium.

LEO, Natione Tuſcus, in diuinis ſcripturis eruditiſſimus, in declamandis homilijs ad Populũ adeo celebris; vt ſuperiorem in Eccleſia habuerit neminem. Fuit enim Eccleſiaſticæ dictionis Tullius, Sacræ Theologiæ Homerus, rationum fidei Ariſtoteles, auctoritatis Apoſtolicæ Petrus, & in Chriſtiano pulpito Paulus.

Ad comparandam præterea breuitatem elogio, omittenda moneo, quæcumque minus neceſſaria uideantur, & quando Velleium ad exemplar proposui, libet exibere partem; narrationis eius de laudibus Metelli Macedonici, ex qua cõcinnandæ, perpoliendę hiſtoricę ſcriptionis ratio conſtabit.

METELLI MACEDONICI Ornamenta.

HIC eſt Metellus Macedonicus, qui porticus quæ fuere circundatę duabus ædibus ſine inſcriptione poſitis, quæ nunc Octauiæ porticibus ambiun-

biuntur, fecerat: quique hanc turmam statuarum equestrium, quæ frontem ædium spectant, hodieque maximum ornamentum sunt eius loci, ex Macedonia detulit. Idem primus omnium Romę ędem ex marmore in ijs ipsis monumentis molitus, vel magnificentiæ, vel luxus Princeps fuit; vix vllius gẽtis, ætatis, ordinis hominem inueneris, cuius felicitatem fortunę Matelli compares, &c.

En concinnatam aspice, erasis ijs, quæ minutam, asperam, vel eneruem reddere videbantur orationem.

Metellus Macedonicus Romæ porticus duabus circundatas ædibus, absque vllo tantæ rei monumento extruxit, deuectisque ex deuicta Macedonia statuis frequentissimis ornauit; Romanorum primus marmoream domum incoluit; auctor magnificentiæ, vel luxus, nulli mortalium felicitate comparandus.

Hęc ad exprimendam historici eulogii formã concinnata: intelligo tamen marmoream domum post tanta victoriarũ decora; & excitatas absque inscriptione porticus, quantam sententiarum, atque illustrium dictorum segetem genuinis elogiis suggererent.

Quod vero ad breuitetem expungenda censui verba illa. *Quę nunc Octauię porticibus ambiuntur, &c. & quę hodie maximum sunt ornamentum eius loci*: quia priora nihil ad elogium: posteriora nimis minutum redderent elogiastẽ. multum enim interest inter elogiastę historici, &

Panegyristę munus. quia hoc, quo de agimus scriptionis genus, non debet minima quęque ad laudem pertinentia corradere; sed ipsas tantummodo res gestas, quo insignius potest exponere per epitheta illustria, per insignes elocutionis formulas, vt paulo ante ex Elogio Vicentii Diuini de Marcello Iouanetto cap. VI. Neque multum de indicandis quasi digito facinoribus laborare: vel enim sunt illustria, vel non. Vice dictionis *Princeps* auctor adhibui, magis enim mihi videtur sententiam exprimere. Scripsi pariter *absq; vllo tantæ rei monumento*, ne adeo ieiuna esset oratio: elogium enim historicum nō inscriptionem efformandam statueram, quam illa verba formularum decerent. Neque grauareris velim subrogato a me verbo *incoluit* ni *molitus* aliquid operosi, tuis, lector, auribus sonaret.

Abstuli asperitatem, quam gignebat appositum verbum *fecerat* post quadrisyllabas dictiones *porticibus ambiuntur*.

Locutionem variandam curaui, explodendas repetitas dictiones *ædes, ędibus, ædem*. Nequiuit enim Velleius feliciter assequi nitorem, quem profitetur se magno studio quęsiuisse: orationis numero, vocabulorum copia non nunquam defecit.

Hic tamen ille est, qui hist. lib. 2. se vix dicere ausum demonstrat. *Cęsarem inter Piratas, nec dis-*

discintum, nec discalceatum vnquam fuiße, proptecrea quod actus ille speciosis nequiret verbis enarrari; sed omnibus, quod in Tmoleonte Plutarcus, oportet Corydalis cristam inesse: nec vllus, vt Famianus prol. 2. lib. 3. sine venia placuit ingenium.

Videant modo, qui absque vllo verborum delectu, & iudicio, obuiis quibuscumque vocabulis, locutionibus condunt elogia, quam arduum sit aliquid dignum moliri; cũ vel magno labore, & solertia, tantus hic scriptor, aliquando impegerit, qui nihilo secius magnam apud omnes gloriam, ingenii, ac diligentiæ est consecutus. Videant quod propositam spectat ad rem, qui vel minima queque corradunt, ac immiscent elogiis; quique in his amplificationes adhibent, qui student synonymis, compellationibus vtrumque marginem opplere; quantum ex ethymo id sit, ac difinitione eulogij.

Breuissimi erit exemplar, idemque grauissimi apud Suuertium in Louaniensibus hoc

IVSTI LIPSI

Eulogium .f.

Iusti Lipsij quod claudi potest,

hic tegitur.

Breuius est, quod summa cum eloquentię, & sanctitatis laude Christiani orbis assensus statuit Ioanni Antiocheno. *CHRYSOSTOMI* .s. cognomento .cuius alteram, quam appono interpretationem

tionem elicio ex Cathol. Iac. Apoſt. cap. 3.

Quin & diſſyllabum affert Valerius lib.8.cap. 16. de Q. Catulo .ſ. IN TE . de quo idem au-ctor exclamat. *Vim honorati* Iudicii admirabilem *Siquidem Magnum Pompeium cum omnibus ornamentis, quæ retuli duarum ſyllabarum ſpatio incluſum Catulo æquauit* . Hiſtoriam tu te leges.

Arrident mihi hoc breuitatis nomine quæ Gaddius de Petro Soderino in ſepulchralibus de Eminentiſs. Card. Spatha.

Succurrat igitur nobis . In eo ſitam eſſe prędandorum vim Animorum ſi LEGANTVR ex optimis meliora . Et cum longiuſculi eſſe compellimur eo ſtudioſius occulamus argutiis, veneribus prolixitatem . id quod mirifice præſtitit Franciſcus Remondus in Sepulcralibus . *Argutijs, dictis illuſtribus, veneribus*, dixi, non eruditionibus: nam eę niſi habeant acumina non alleuāt, non recreant legentis animum . quapropter cum nerui, & robur elogii dicantur, eam ſibi partem in illo debent vindicare, quam & in humanis corporibus nerui . Caueamus igitur ne ſpecie recti Fallamur . vt in Poetica Horatius admonuit.

De

DE PARENTESI.
Cap. X.

INterclusiones tam breues quas adnotata nobis Flori, & Paterculi exhibent elogia: contra vero vterosę quorundam ac sępius vel minima de causa repetitę, interpositæ, compellunt arguere nimis putidam diligentiam, siue morositatem Nobiscum quęso reputemus eulogias ne, an historicas texamus narrationes? num impositum sit nobis onus tradendarum pręceptionem politicarũ. Vti enim parocmia, aut sententia vna vel altera ferit, complures fastidiuntur ita, & interclusiones oculorum, & intelligentię remorę. quę multo citius molestiam, pariunt ne dum satietatem. Ne simus igitur intempestiue diligentes. Concederem enim vnam. aut ad summum alteram elogiastę parentesim si necessitas postularet per breuem. At vero nollem si Horatium Coclitem e. g. laudares, ita FLORI dubitatione moucreris, vt hac de re parentesim interijceres. nam cum ipse quoque de bello Etrusco profiteatur se fidem Romanis hisce prodigiis habere, quia sint in monumentis annalium. cur tu adeo de veritate labores? Cum igitur dubiam in rem elogiastes inciderit, adhęreat opinioni quę suam magis ad rem faciat quæ nobiliora ad acumina viam aperiat. Quod si historicum agat, quanto breuiorem poterit, nec frequenter, vsurpet

per interclusionem. Nunc demum quando nihil aptius metaphora ad consequendam breuitatis laudem adtexo.

DE METAPHORA.
Cap. XI.

Metaphora, quæ nobis translatio dicitur, omnium est troporum nobilissima. Fit autem quum nomen, aut verbum ex eo loco, in quo proprium est, in eum in quo proprium deest, aut translatum proprio illustrius, vel significantius est, traducitur: auctore Quinctil. lib. 8. cap. 6. e cuius verbis triplex metaphorę causa elucescit; nempe necessitas, ornatus, & significationis incrementum. quod si nullam ex his virtutibus habeat, impropria, & inutilis iudicatur ab Arist. lib. 3. Rhet. cap. 2.

Necessitas coegit dicere *gemmare vites, sitire Terram, lętari segetes, Classi immittere habenas*. propriis enim verbis deficientibus, necesse fuit ad translata confugere.

Significationis incrementum suasit ad animos impellendos metaphoram adhibere. Thesaurus in Octauio. *Timebat Carneficem, Medicum experta*. quid enim hac voce Carnificis immitius? quę lenissimæ opposita mirum quantum vis afferat ad vtramq. conditionem Vrbis exprimendam. Tertia causa translationis fuit ornatus,

eius, & splendor orationis augustius siquidem est, si Augustinum MASCARDVM REIPVBLICÆ LITTERARIÆ LVMEN, aut DECVS MVSARVM; quam si magnum litterarum compellem. Thesaurus in Iulio. Cęsarem *Lucem Cęsarum nominat*. GADDIVS in Oratoriis Virginium Cęsarinum *ITALIAE miraculum, Phoenicem litteratorum*.

In quibus tamen compellationibus solerter caueamus, ne tanti simus, vt nimii. quo fortasse nomine peccauit qui Antonium Brunum *LVMEN sapientiæ, amœnitatis Florem, iubar eloquentię, fontem leporis, exemplar elegantiarum, Carminum decus, venam suauitatis nuncupauit*.

Sed, & quędam dictu parum speciosa per metaphoram explicare docet ibidem Fabius: quę quarta erit causa translationis: vt apud Maronē *genitale aruum* in georg. atq; ad hanc debent respicere quibus elogium pro iaculo est nemini parcente.

Hic mihi locus perstringendi Elogiastras, quibus vnum est opus longam translationum seriē contexere, vel metaphoram metaphoræ copulare, duriorem durissimę: eulogia enim, non enigmata scribimus.

Quo-

Quotuplex sit Metaphora. Cap. XII.

MVltiplex est autem ratio faciendæ translationis, vt loco paulo āte notato Quintilianus. Videlicet, quum in rebus animalibus aliud pro alio ponitur. quo pacto Liuius Scipionem a Catone allatrari solitum scripsit. Sic Torgerius de Diog. Cynico. Sic Aloysius Cerchiatius de Antonio Bruno .s. *Cycnus non ad mortem, sed ad nominis immortalitatem sui Lyricos numeros modulatur.*

Cum pro rebus anima præditis vsurpamus inanima: vt GADDIVS in allocut. qui Gustauum Suecię Regem, *glacialis Poli ardens fulmen,* compellauit.

Cum inanima pro inanimis adhibemus, vt Doctissimus Franciscus Maria FIORENTINVS in elogio eiusdem Gustaui acuminibus, eruditionibus, & elocutione Florentissimo, ac prælo dignissimo. *Bellico vere peremptali peremptus fulmine.*

Item, cum rationale pro alio rationali, aut diuersi generis sufficimus. Sic Franciscus ROSERMINVS. *Antonio BRVNO Hetruscorum Orpheo.* sic *Italicum Platonem, Christianum Demosthenem Albericium* dicet cum energiaa, & iucunditate Elogiastes.

Mirificam vero inesse sublimitatē metaphorę, quæ

quæ inanima pro animalibus ponit, admonuit Quintil. tum autem pręcipue, cum audacię periculo proxima attollitur, sensum, & animo rebus affigens, quę sensu, animoque carent. Sic scriberem *Mare iugum dedignatum in classem Xersis sęuysse*. Compluribus eiuscemodi trāslationibus, Panegyricum adornauit LVDOVICO XIII. GALLIARVM REGI elementorum domitori pro capta Rupella, nobilissimus Plinii æmulator Stephanus PETIOTVS Lemouic.

Differt autem translatio à similitudine, tum breuitate, cum absque particulis exprimatur, *vt veluti*, ac similibus; tum vi significationis; quæ maior metaphoræ, quam similitudini videtur inesse. Comparat .n. similitudo rem cum re, qua illam statuimus exprimere. THESAVRVS in Caligula. *Vt Mauros natus, vt Baccus vixit*. GADDIVS in Orator. *Astri Martialis instar*. Metaphora vero pro ipsa met ponitur re. Thesaurus in Octauio. *Obijt sol patria, oriens prolatus, ploratus cadens*. Franciscus Maria Fiorentinus de Gustauo. *Triplex ille feritatis leo rabie, rictu, rugitu ausu, viribus, impietate, terrm aximus Cęsaris inguftato, quod inhiabat Imperio à Cęsarianis in Saxonia militibus cęsus, tripliciter ictus occubuit*. Quod si translatio translationi, quasi ansula nectatur ansulę, in allegoriam exit, qualis illa Virgilii. *Claudite iam riuos pueri, sat prata biberunt*; ideo enim in eâ riuos claudere pueri

 iu-

iubentur in cantu desistere; quia sat biberant prata i. satis audiuerant.

Talis illa apud GADDIVM de Ioanne Ciampolo desumpta ex Hor. lib. 4. car. od. 2. *Dircęum olorem ingenij cœlestis aura per auras sectatur.* in qua *Dircęus olor* pro Pindaro, per metaphoram ab irrationali ad rationale, & excellentiam. *Ingenij cœlestis aura*, pro acumine, ac sublimitate vsurpatur.

Subiit animus huc traducendi ad exemplar insigne L. Areosti.

DE ALPHONSO DAVALO Pischariæ Marchione.

Epitaphium.

in quo perpetua, sed apta, & dilucida Piscatoris metaphora tanti bellatoris laudes mirifica elocutionis forma prosequitur huius eulogii præconia Remigius FLORENTINVS exhibebit in epistola ad Panesium.

Quis gelido iacet hoc sub marmore? maximus ille
Piscator, belli gloria, pacis honos.
Nũquid, & hic pisces capit? Nõ. ergo quid? Vrbes,
Magnanimos Reges, Oppida, Regna, Duces.
Dic quibus hęc cœpit piscator retibus. Alto
Consilio, intrepido corde, potente manu.
Quę tantũ rapuere ducẽ? duo Numina, Mars, Mors.
Vt raperent quid nam compulit? Inuidia.
Cui nocuere? Sibi: viuit nam fama superstes.
Quę Martem, & Mortem vincit, & inuidiam.

Ani-

Animaduerte perpetuam quidem metaphoram, sed naturalibus floribus intertextam, phrasibus .s. piscationi congruentibus, nullamque ferentibus præ se obscuritatem; disce labra minio illinire, sed suum in collo candori locum, suam nigredini sedem in superciliis relinquere, virgineum dum simulacrum effingis. id quod mirifice insinuare visus est Tassus Cant. XVI. Ogdoade X. dum Viretum Armidę collaudat his versibus.

Stimi, si misto il culto è col negletto,
Sol naturali gl'ornamenti, e i siti,
Di natura arte par, che per diletto
L'imitatrice sua scherzando imiti.

Quapropter hanc ex continuatis metaphoris elocutionem non solum excusant, nec prohibent docti a prosaica elogii tumularis oratione; verum & laudant; cum tamen reprehendant allegoriam similem odę primæ lib. primi Carm. Horat. vt pote obscuram, atque hinc fit euitandas, vt in elogio suadeant metaphoras, quarum remota remotior, vel aliis insinuata tropis copulatur, vt insuperabiles intelligentiæ salebras?

Quę ad rationem inueniendæ metaphoræ spectant: quando illa in catacresim, metalepsim, vel enigma degeneret; ex recentioribus omnibus vberrime scripsit Vinc. GALLVS in Rhetore. lib. 3. cap. 14. & seq. Consule & GADDIVM in Ant. QVÆRENGO.

DE ANALOGIA.

Cap. XIII.

EST Analogia Qintiliano lib. 1. & Gellio lib. 2. cap. 25. proportio, vel proportionis ratio; vnde analogum dicitur proportioni respondens: huius tanta vis est in genuinis elogiis, ac sepulcralibus, vt tota propemodum scateant analogiis.

Principem vero inter proportiones sibi vindicat sedem Paronomasia, vel paronimia, quam nos agnominationem diceremus. Fit autem hæc, quum nomen ab alio nomine dissidens significatione, in voce, vel ex aliqua, vel maiori ex parte conueniens vsurpatur. Torgerius de Cincinnate. *Arator, non Orator ad fasces accitur.*

De æquiuocis vix quicquam est cur edisseram: rarus enim vsus eorum in elogiis. habet quidem Ausonius epigramma lepidissimum de Lepore, qui terrestrem fugiens, marino captus est Cani. Ceterum in his vitanda exilitas, in qua crebro peccatur; non enim ex quolibet ligno Mercurius.

Inest autem æquiuocis sub nominis conformitate prorsus eadem, significatio diuersa, vt Aristoteles in predicamentis cap. 1. exemplo sit scorpius, quod nomen, modo animal terrenum, modo Sydus celeste præsignat, neque plura de hoc,

neque

neque multa de Paronomasia, pro eo vitio orationis, quod accidit, cum ab iisdem litteris diuersa verba sumuntur. semper enim, & cuique intolerabilis illa syllabarum collisio, *Tite tu te Tati, &c.* & hiatus vocalium. *Oratio oratorio ore.* quicquid aliqui sentiant de Tullianæ epistolæ initio .s. *Ego omni officio, &c.* quapropter THESAVRVS in Iulio non scripsit. *Orbe victo, vicit victricem orbis vrbem.* Sed. *Victo orbe, vrbem victricem orbis vicit.* Hanc tamen paronomasiæ speciem, aliquando cum laude posse vsurpari, GADDIVS in Cabalisticis elogiis nuper impressis, videtur existimasse; dum sic posteritatem affatur, præposito allocutioni P. grandiori, quatuor cum subsequentibus punctis, hoc pacto.

P....

Poeta præcellens præconium para,
Posteritas
Præclara poemata pangit perpetuitati.

Et Ios. LAVRENTIVS in Philolog. in eulogio Io. THEVPOLI.

Patri Patrum, Patriæ Parenti, Pupillorũ Patrono. & alibi ipse, & Franciscus SVVEERTIVS. Cum tamen alioqui inuentam esse deductionem constet; ne idem verbum iunctim vsurpatũ offendat aures, quarum vt Cic. in Orat. super-

 bi-

bissimum est iudicium. quapropter idem. *Qui nihil, inquit, in vita habet iucundius vita, is cum virtute vitam non potest colere.*

Quatruplici autem ratione paragramma, siue paronomasiam fieri docet Soarius lib. 3. rhet. cap. 28. s. auferendo, adiiciendo, mutando, vel porrigendo litteras, aut syllabas.

Auferri abusiue dicitur littera, vel syllaba, cum paucioribus litteris, vel syllabis constans dictio, dictioni pręponitur haud dissimili; vt Cic. pro Cluen. *in hac fama, quasi in perniciosissima flamma. & Codrus morte immortalitatem adeptus est.* quodque de detractione, idem de adiectione. LAVRENTIVS in Victorio GRIMANO. *Victrici victor cinge tempora lauru.* adiectionem enim nuncupant, quum prima, qua ludimus dictio, pluribus est litteris, vel syllabis productior.

Commutatio dicitur, cum littera, vel syllaba immutatur, vt eadem verbi desinentia subseruiat lepiditati. THESAVRVS in Iulio. *Sępe a fulmine regia seruatus, laurea non semper.* LAVRENTIVS in THEVPVLO: *Cui vix nato vrbi, & orbi noto numen arrisit.*

Traslatio demum, quum syllaba de loco ad locum videtur deducta, GADDIVS in Ioanne Baptista GVARINO. *Stylum pulcherrimum iudicabis; nisi minus pulchrum, quod nimis pulchrum* & Cic. *Videte num homini nano, an vano credere malitis.*

Habet

*H*abet paragramma plurimum venustatis, suauitatis, ac festiuitatis, sed leue extra eulogiũ est; præsertim si frequens, nec plenum grauitate sententiarum, quapropter extra iocos, & cum in veritate dicimus, raro sumendum: crebro vero; quum ad delectationem in academiis .s. & ludis litterariis, ac proinde in eulogiis, vt Vinc. Gall. ibidem.

Bisquisitum etiam, quod Italice *Bisticcio* huc reuocatur ab eodem; & Parachesis, quæ latine assonantia, seu alliteratio; in qua ex vocis prioris sono, alius statim deducitur. Vt *Voce vocans Hecatem*. Hæc figura si inter nomina intercesserit, dicitur paronomasia. si vero inter verba, dicitur Paromeon, vt *orare*, *arare*.

Stare antem animaduerti, non solum in dictionibus eiusdem deflexionis, vt, *Cessit Ciuibus suis Cesar Cesus*. THESAVRVS in Iulio, & eiusdem significationis. vt. *Cuius lauro exoriente lauretis Thuscis vniuersus viroris honor defluxit*. ACHILLINVS in PRÆTO. verum etiam in vocibus diuersæ deductionis, ac significationis. vt. *Hierosolymam victam victimam sacrauit fama*. THESAVRVS in Tito; ac demum quamcumq; vel in principio, vel in fine, aut medio dictiones conuenientiam habeant, pertinent ad agnominationem, & solerter adhibita, magnam eulogiis aduehunt iucunditatem. THESAVRVS in Iulio. *Parricidium confessa; quum Patrem*

dixit, & munis officijs in immunes officij. idem in Tito.

Huc etiam redigunt aliqui nomina similiter cadentia, licet dissimilia sint. *Est idem Verres, qui fuit semper. vt ad audendum proiectus, sic paratus ad audiendum*. Cicero, qui, & similes crebro vsurpauit, vti *audaciæ, impudentiæ, agri, fori*. Ita & similiter desinentia.

Differt vero hæc figura in hoc a superiori, quod in paronimia similiter cadentium, parum refert, si dissimilia sint, quę vsurpantur; modo cadant similiter, vt *Prętor, Imperator*; at in similiter desinentibus debent exitus multo magis conformari. exemplo sint Ciceronis verba de Pompeio pro lege Man. *Eius semper voluntati, non modo Ciues aßenserunt, socij obtemperauerunt, hostes obedierunt; sed etiam venti, tempestatesque obsecundauerunt*. Quæ sane figura in causa est similium persępe nugarum, & exilitatis. *Quem inclytum crepundia præsagiere, quem circum Musa hilaria peregere, Amores, Choreas duxere*, & alia id generis; quę vel excribere pertędet. hæc sane alio si orationis numero disposita, non tantopere putida, ac molesta essent.

De

De Isocolo, siue Membro Eulogij. Et num agminatim, vel columnatim scribendum sit. Cap. XIV.

ISocolon Græcis, vel Isocolia, nobis par, seu compar significat. fit autem quum duorum, pluriumue membrorum pari fere numero incidit scriptio, vel prolatio. THESAVRVS in Octauio. *Ad bellum natus, bellum fugauit. motus est Orbis illo moto; quieuit quieto.* Implet hoc vices argutiarum quodammodo, ac ponderis, si minus sint graues sententiæ elogiorum. Quapropter videbis quędam discriminata Isocholia & eulogia, paribus sibi membris respondentia; quę si introrsus aspexeris, nihil graue, aut aculeatum occludunt.

Hic vero non inficior, quemadmodum paria illa membra iuuant mentem ad notionem; ita pari interuallo perscripta oculos oblectare. Verum hæc quorsum, nisi aliquod insit discriminationi mysterium, quod secus expromptum minus innotesceret?

Memini me dudum inter ellogia GADDI vidisse Pyramidem excitatam, cuius vertex ab I. in TE ni fallor, ac alias deinde dictiones progrediebatur, ea serie; vt descedens pyramidalem eulogiam cum suis spirulis, ac stereobate repræsentaret. libellum ad manus non habeo. exhi-

bere

bebo tamen huiuſcemodi Epigraphatum exempla, in illis quas Marchioni VIRGILIO MALVEZIO, & aliis eloquentiſſimis inclytis, atq; viris ſtatuam inter Miſcellanea.

Sed & Theocrytus Ouum Rhodii Simij, alas, & ſecurim ita effinxit; vt epigraphe harum ſpecies rerum oculis exhibeat.

Ipſe de hac re ſic ſtatuerem, ſi aliquis ſubſit illuſtris ſenſus in ſeries digeſtę inſcriptioni: non eſſe omittendum tale inſtitutum vllo pacto; Si vero idem præſignet elogium, aut epigraphe in eas quaſi areolas, agminaque diſtincta, & continenter, abſque vlla intercapedine conformata, diligentiam hanc, vtpote inanem parui ducerem. Ita in pleriſq; ſuorum PONA GADDIVS, & alij.

Collibuit ad tuam lector oblectationem, & vtilitatem alas Simię Rhodiæ oculis tuis examinandas ſubijcere.

ALAE

ALAE SIMIAE RHODIAE.

Ex Theocrito, vel coæuo script.

Intuere me, qui sum telluris vastithoracis rex, Cælumq; & Mare qui tōdidi.
Neque borreas; si cum sim tantus, densũ & hirsutũ fero mentum.
Tunc enim ego natus sum, quando visum est necessitati:
omnia autem obtemperant eius voluntati.
grauissime, animaliaque omnia
quæ nunc peragrant
aeris regionem.

Et Chaos neque vero (sum) Veneris filius: pernix tamen ipse amor nominor:
neque enim mihi decretum est vi pertrahere: sed leniter adduco
persuasione. Tellus, Marisque recessus, Cælestium
etiam quilibet Deus mihi cedit. Ab his
ego remoui vetus sceptrum,
& constitui ipsis
iura.

Cur Dianę Phębi sorori dimidiatum Theocritus ouum obtulerit, subindicarunt Iosephus Scalig. & Sirus Oetius, quia .s. alia vt omittam, conquerebatur de iniuria a Mercurio Musicæ illata; quum tradita Phębo testudine, quæ dimidiatum ouum effingit, se ad quadrupedum curam conuertit. vel potius dicerem, quæstus esse derelictę a proceribus sapientię. Sed parum hęc presentem in rem. Satis nunc erit iudicasse, quamobrem oui figuram indiderit elogio.

Quod vero ad alas duabus mihi de causis alas videtur effinxisse, dũ amoris exequeretur præconia .s. *Quia simplicissimus Amor, ac proinde ferat se omnia super, & Cælum lenit quin, & immobile volatu perlustret.* omnium vt sapientissimus Zoroastrus; vel quia, vt ipse met profitetur Theocrytus. *Non vi pertrahere, sed leniter adducere consuescit amor.* His igitur de causis scite alarum instar, & oui elogium expressit. & en id, quod monui, firmatum exemplo. videlicet posse absque piaculo, sine intercalatione epigraphas. & elogia conscribi: quapropter GADDIVS, & PIGNORIVS integris, paribusque versiculis & continuata ad paginarum margines serie pleraque omnia sua prelo commisere.

DE ANTITHESI, Cap. XV.

CONtrapositionem; Greci ad Antithesim nonnulli ad Paronimiam reuocarunt. fit autem hæc, quum singulę singulis, binę binis, ternę ternis vocibus, neque enim vlterius progrederer, voces respondent. THESAVRVS in Octauio. *Quę admittere pudebat, committere nō puduit*. GADDIVS in Cęsarino. *Non lacrymabilis, quia lacrymabilis*. his vero referta passim elogia.

Interdum vero contrapositionis membrum non exprimit verbum, aut nomen alteri respondens. THESAVRVS in Octauio. *Iani Templū solus clausit; Musarum solus aperuit*. Lælius GVIDICCIONIVS. *Calamos olim ferreos feriendo tibi, aureos efferendo nunc germinat*. de GADDII elogio in Castruccium. Est, & alia species contrapositionis in sententia, s. non in verbis. Franciscus Maria Fiorentinus in Gustauum. *Saxona Pyrites excutiente scintillas Alecto furiato Antagonistę spiritus suppeditarat igneos, hyeme lethali refrigerandos*. & GADDIVS in Traiano Boccalino. *Serio pupugit ludens*.

DE COMMVTATIONE.
Cap. XVI.

COmmutatio inquit auctor ad Heren. lib. 4. est quum duę sententię inter se discrepantes ex transiectione ita efferuntur; vt a priori posterior contraria eidem proficiscatur, hoc modo. *Esse oportet vt viuas, non viuere vt edas.* THESAVRVS in Tiberio. *Ad Imperium ab exilio venit; in exilium missurus Imperium.* & in Domitiano. *Hostibus Musca; Muscis hostis fuit.* in principio enim sita est vis ordinis. quę licet in posteriori exemplo non exprimatur per aliquam particulam e. g. *Qui Muscis hostis, hostibus Musca fuit*; nihilo secius subauditur.

DE METONIMIA.
Cap. XVII.

MEtonimia, quam & Hypallagem Rhetores nominant, vel denominationem. Tropus est nominis pro nomine positi; vt Quintil. lib. 8. cap. 6. fit autem quoties declaramus causas per sua effecta, vel effecta per causas. Causas per effecta pronunciamus, cum Cererem pro frumento, Aristotelem pro scriptis ipsius. Ex effectis autem causas significamus, qui dicimus timorem męstum pallidam mortem. Vtriusque passim exempla Laurentius in Io,

Iusti,

Iustiniano . *Astrea Mauratis*, *AEsculapij affectiori*. Ipse in Ioanne Ferrarino in Miscell.

Ex eo pariter, quod continet, id quod continetur; sic frequentissime Roma pro Romanis ponitur. GADDIVS in Hann. Strozza. *Mutinam, Rhegium, & Parmam egregie gubernauit*. THESAVRVS in Iulio. *Quem inermem timuerunt arma; armata necauit toga. & ingratam Patriam patrijs armis punijt*. Sic possessor pro re, quæ possidetur. exercitus dux pro ipso exercitu. Virg. *Ardet Vcalegon*. i. domus Vcalegontis. Gaddius in Hier. Sauorgnano. *Hic optimis disciplinis armatus, Imperij Veneti tutator acerrimus: Cadurium a Maximiliano defendit, &c.* Ad eandem etiam figuram referuntur, gladius pro vulneribus, sceptrum pro dominatu vsurpata; fasces item pro magistratibus; imagines, stemmata pro antiquitate, &c. Thesaurus in Claudio. *Hic in angulis gladium fugiens sceptrum inuenit, & gladium Iuris tam periculose vibrauit, quam ignaue*. GADDIVS in commendatissimo PII. II. Pontif. elogio. *Picolhominea familia floruit regali affinitate, Pontificijs Coronis, Purpuris, infulisque sacratis*. Laurentius in M. Iostiniano. *Cuius in atrijs ordine longo maiorum imagines quamplurimæ censentur. Laura, Palmæque non traslaticiæ, sed genuinæ postes exornant*. Idem & Caduceum eloquentiæ Flexanimæ typum pro ipsamet eloquentia. in M. Zeno. *Dignatum a teneris vsque*

vngui-

vnguiculis a Phœbo Sophia, a Mercurio Caduceo. Meum habes de Andrea MALASPINA Fosdin. March. in Miscell.

DE ANTONOMASIA. Cap. XVIII.

ANtonomasię, quam auctor ad Heren. pronominationem compellat, frequentissimus est, & conspicuus vsus in elogiis. Per hanc Patrem eloquentię pro Tullio dicimus, circumlocutione, vsi nominis vice, cum icremento laudis, & sublimitate orationis. THESAVRVS in Vespasiano. *Tertius Diuus, secundus Augustus, Pius primus*. Hæc plurimum confert ad breuitem, quandoquidem per vnam antonomasticā compellationem, integra magni facinoris historia sub oculis legentium constituitur GADdius in Hieronymo Sauorgn. *Itaque Sauorgnanus causa fuit, deplorata, vt illa regio recuperaretur a Senatu, qui publice Sauorgnanum Venetę Reipublica Fabium Maximum, & ATHLANTEM compellauit, quod vniuersam grauissimi belli molem sustinuisset.* e cuius verbis compendiario constat, elogio perstringi, quę longa essent oratione denarranda; id quod, & sub finem elogii de Camillo Vrsino inter oratoria.

Huc etiam spectare videntur additiones epithetorum, in quibus cum multum debeat ener-

gię, & ſplendoris ineſſe ita in eorum delectu plurimum ſtudij, iudicijque par eſt adhibere. gaudet enim elogium apprime aculeata breuitate; quapropter faceſſant ab hoc ſcriptionis genere appoſita, quę tantopere Ciceronis pro Marcello orationem exornant. *Tantam .ſ. manſuetudinem, tam inuſitatam, inauditamque clementiam, tantum in ſumma poteſtate modum, &c.*

Quantum vero peccant vtramq; in hanc partem ij, qui Epimetheos, Prometheos nuncupant: qui Autolyci, & Sicyonij inſignia, Athletarum nomina homuncionibus indunt, quibus, vt Battus apud Theocrytum nunquam contigit oleum videre.

Quod autem ad appoſita, ex duobus, quod illuſtrius, aptius illud adhibeamus: non enim per geminata epitheta inſigne reddendum eſt elogium, ſed illuſtrandum per tropos, & ſchemata ſibi peculiaria: præcipua vero laus ex argutiis, & illuſtribus præconiis comparanda.

Agendum hic eſſet de triplici adiunctorum genere appelatiuorum. ſ. adiectiuorum, & aduerbiorum, ſed de his, ac legibus appoſiti adinueniendi conſulatur eruditiſſimus, ac de re litteraria quam optime meritus Vincentius GALLVS in Rhetore lib. 3. cap. 6.

Admonere tamen non deero, vt multum affinitatis adiunctis cum antonomaſia intercedat deuitanda redundantia, otioſa, naturaliumque

proprietates rerum exprimentia: vt humida vina, niger coruus, &c. necesse etenim est augeant, l. imminuant rem adiuncta, vel ab alia secernăt, præsertim vero, vt afferant energiam. Quod si cunctis scriptoribus suadet Philosophus vtantur adiunctis, tamquam condimentis, non tamquam cibis; quanto magis hoc ad se pertinere intelliget Elogiastes.

De Epiphonemate, & Apopthegmate. Cap. XIX.

EPiphonema summa est de re narrata, vel approbata acclamatio, qualis apud Maronem lib Æn. 1.

Tanta molis erat Romanam condere gentem. Hoc autem nomine compellatur quælibet Clausola arguta, quę animũ post rem enarratam feriat. Eiusmodi illa est, qua Velleius Sempronii pręclarissimum facinus extollit. his verbis lib. 2.

Centurio Sempronius, qui nullo priuato beneficio a Galba esset affectus, sed honestati, legique opẽ ferens, districto ense, vrgentibus se repugnauit ante lecticam; donec amissis poplitibus cecidit. Unus vir, en acclamationẽ, *quem in tot hominum millibus solum aspiceret Sol Romanorum dignum Imperio.*

Quapropter Dubrauius lib. 27. ad hanc rem Pęlsines inquit, *Boemi cum Hussitarum obsidionẽ*

for-

fortissime pertulissent à Cæsare Sigismundo diploma tulere, laudis, & gratiarum plenum; in quo ad contemptum hostium tale adiunctum erat

Epiphonema.

Hoc nomen PELSINA in Hæreticorum Faucibus perpetuo amarescet.

Præterea admirationes, exclamationes, & si qua sunt dicta post rem enarratam pro argumentatorum ratione grauia, & illustria, gaudent hac compellatione.

Admirationis maximi ponderis exemplum dat GADDIVS in Caballicis, qui enumeratis Galliarum REGIS virtutibus. *Respice*, ait, *Xenophon exemplar Regis*.

Atque hinc merito factum: vti diuidatur Epiphonema in gnomicum, siue sententiosum, & absque gnoma.

Sententiosi specimen sit illud Maronis...

Trahit sua quemque voluptas.

quod sane idem est, ac apophtegma sub narrationem; nam ferit animum, & quod aliqui volunt in apophtegmate, etiam informat. Talem existimabis GADDII sententiam in Exemplaribus. *Tali .s. morte dignus, quando vita haud dissimilis exitus respondet.*

Absque gnoma vero, siue vt Quintil. lib. 8. cap. 5. acclamatorium epiphonema dicetur il-

lud Arcombroti Argenid. lib. I. *Quid ? Procerum primos iuuit post inexhaustum immensæ potentiæ cursum ad purpuratum sacerdotium confugiße, tamquam ad aram ? Nempe vt preciosius esset funus expirantis dignitatis.* hoc alii, & exclamatorium compellant: quale illud apud Martialem de Amphiteatro Cęsareo.

Vnum pro cunctis fama loquetur opus.

Ex his intelligas epiphonema, vel ex narratione deduceudum, vel ad illam quammaxime accomodandum, vt sit epiphonema. Cęterum cnm gnomicum epiphonema communi loco, & generali sententia constet; nescio, cur non sint compellanda apophtegmata sententiæ in quibus THESAVRVS, PONA, & GADDIVS suorum pleraque, vel non pauca voluerunt elogia expirare. THESAVRVS de Domitiano, *Gladium præuidit; culpas præuidens suas: non tamen vitauit. Pręuisa enim mors malos terret, non corrigit.* GADDIVS in G. B. Bonarello. *Siquidem Poesis Numinis filia immortalis, tum suis alumnis, tum Patroni s parit immortalitatem.* Cur enim amice ad circulum Senecæ, vel aliam antiquitatis argutiam recurrendum, quando effe rendum est grauis, vel festiui dicti alicuius exem plum ? Ipse Iuppiter vti ad atram bilem fastidio putidiusculos quosdam, qui solum prisca suspiciunt; ita & hoc potissimum nomine, quem sexcentis deberem Pręclarissimum LAVREDA-

NVM

NVM reuereor, quod Marini Apophtegmata, quasi gemmas deligens sacrauit immortalitati. Quid age argutius illis THESAVRI dictis in Domitiano? *Scena interdixit Histriones, solus Histrio daturus scenam. Honores contempsit, carens virtute; in hoc tantum Iustus.*

Vnde vero exemplum deprehenderint ingeniosissimi viri, qui ad tantam dignitatem prouexerunt elogia sistendi ad egressiones ipsorum sententias, in quibus quodammodo expirent; satis indicauit THESAVRVS in Vespasiano, cuius elogium ijsdem verbis clausit, quibus, & vitam Imperator. *Decet*, nempe, *Imperatorem stantem mori.* Adeas GADDIVM in Ferrante Garaffa, in Boccalino, & in laudatiss. elogio de PIO II. Summo Pontif.

Velleius elogiastarum Magister, L. Florus, & alij imitatores ipsorum, ita seriem elogii digessisse visi sunt, vt viam sibi pararent ad argutias sententiarum.

Paterculus de Pompeio verba faciens, *Hic*, ait, *post tres Consulatus, totidemque triumphos, deuictumque terrarum orbem, sanctissimi, ac præstantissimi viri in id euecti, supra quod ascendi non potest, exitus fuit: Tantum in illo viro discordante fortuna, vt cui modo ad victoriam terra defuerat, deeßet ad sepulturam.*

Et denarratis Metelli decoribus, ansam ex ipsius prosperitate capiens: *hoc est magis*, ait *feli-*

citer e vita migrasse, quam mori. In immensum .s. deuicti a Pompeio Terrarum Orbis præconium excurrit, quicquid in excusationem afferat Lipsius, melior elogiastes, quam scriptor historię.

Et sane cum vniuerso in eulogio, nullum, nisi loco positum, & quasi in vermiculato emblemate, vt Lucilius inquit, collocatum debeat verbum videri, quanto venustiora, pręclariora locari debent sub finem?

De illustri igitur dicto cogitandum Elogiastę, ne eius oratio eneruі egressione terminetur absque vlla lectoris oblectatione, vel vtilitate.

Videamus igitur nos impotentes, & nostrarum rerum Narcissi, quantum laboris, ingenii, aç iudicij nobis sit impendendum; vt ne post ephimeram, qua nobis eblandimur iucunditatem, languidi floris instar efflorescamus.

Sit nobis constitutus ob oculos ad exemplar Velleius, qui, vt alias ipsius exornationes prętercam, de M. Tullio verba faciens, hæc scribit lib. 2. *M. Cicero, qui omnia incrementa sua sibi debuit, vir nouitatis nobilissimæ, & vt vita clarus: ita ingenio maximus; qui effecit, ne quorum arma viceramus, eorum ingenijs vinceremur*. Et paucis interiectis. *Dum hoc*, inquit, *vel forte, vel prouidentia, vel vtcumq; constitutum naturæ corpus, quod ille pene solus Romanorum animo vidit, ingenio complexus est, eloquentia illuminauit; manebit incolume, comitem æui sui laudem Ciceronis trahet,*

quod

quod cum videretur redundans, & amplificationem adẽptam, & seriem dubitationum expunctã cernes in GADDIO de PIO II.

Sed ne suspiceris, amice lector, iniicere me calamis lora; ita vt dirigam ad elogia in sententiis semper terminanda. Quando sita est in varietate iucunditas: quando non semper ad Apophtegma accomodatus est finis elogii. Hoc Remõdus per interrogationem aliquando clausit. GADDIVS de Daniele Heinsio per excusationem, cum insigni prçconio.

Franciscus Maria FIORENTINVS per hortationem & minas. s.

Plaudite Itali spectatores glorioso CAESARIS spectaculo, & AVSTRIACA in Boreales AQVILA fulminante.
Discant Aquilonares reliquię, Vel Aegeonij funes, vel Enceladi furus eorum relinqui temeritati.

Ac demum, ne per plura diuagemur Paulus MACCIVS in FELSINEO POECILE CITTIÆO pene ZENONI PAR amænis lepiditatibus impolui coronidem præconiis LVDOVICI MALVEZII his. s. verbis.

dum spicula Parnasii calami torquet victor,
ac trumphator insignis ęmulos
sauciat, inuidos sternit,
ineuitabili, nec
inamabili
vuulnere corda legen-
tium trans-
figit.

De Obscuritate deuitanda.
Cap. XX.

QVærendum esse robur, ac dignitatem elo-gio per Mythologias per Historiarum, ac Polymathię monumenta; non est, cur longa scriptione, aut syrmate exemplorum cōfirmem; nemo enim propemodum est, qui allusiones, eruditionesque non laudet; quæ multum ponderis, ac maiestatis, minimum obscuritatis, & asperitatis habent. quapropter cum plausu recentiorum orbis ingeniorum excepit elogium Claudii ACHILLINI de Hieronymo PRÆTO. videlicet.

Musa decimę
Charitum quartæ, ingeniorum primo, &c.

Itidem pręconia A. VESPAS. MORI de ANT. BRVNO. s.

Si huius Carminis elegantiam spectes:
Etruscam Pierim illi sua verba commodasse,
nil ambiges.
si vim intuearen
Pytho illius labris insedisse, &c.

At vero si nostra hac tempestate Democritus aliquis ex Laertio lib. IX. cap. VII. diceret, *Socratem eße PENTATHLO similem;* quasi quintuplicem coronam emeritum: quippe qui naturales, morales, ac mathematicas disciplinas calleret: si Acanati solis epithetum, quasi sine pręcipitatione actuosi, quispiam aptaret Iugurthę, de quo Crispus. *Et prelio strenuus erat, & bonus consilio.* Complures Abydenos offenderet. Hi nanq; tamquã vna sit facies elogii, fucis .s. oblita, inustaque calamistris; vel simplex, naturalique vegeta colore: dum verbum aliquod obuium habent, quod non confestim intelligant ad Arcum Stoici supercilii, ad linguæ spicula, & quod minimum est ad verba Regia. NON placet concutientes verrucam decurrunt. Non semel oppido laudatissimi viri Balthasar BONIFATIVS, & Iosephus LAVRENTIVS ad Aram Dianæ vapularunt; cum epigrammatibus ille, hic elogiis grecas dictiones interseruerit. *Adeo familiare est hominibus,* inquit V lleius. *omnia sibi ceondonare nihil alys remittere; & inuidiam rerum, non ad rationem, sed ad voluntatem dirigere.*

Nol-

Nollem equidem elogiastem, ita Grçcis addictum, vt æque significantia verba latia negligat, curiosus Grçcorum; ne in hunc detorqueretur illud Iuuenalis in Romulidas.

Quid rancidius, quam quod se non putat vlla
Formosam; nisi quę de Thusca gracula facta est?
Hoc sermone pauent, hoc iras, gaudia, curas,
Hoc cuncta effundunt animi secreta.

Quapropter Ciceronis, Boetii, Plinii, Lactantii. & aliorum illustrium virorum exemplo, Argolicis vocibus vtamur, quum in Latium traiecti obtunduntur aculei; cum longo nostrarum ambitu, vix cum suis viribus exprimi possunt Atticæ voces, idque non frequenter, sed & cum iudicio faciendum est. Mihi enim haud reprehenderetur, qui Tullium spirantem Hermathenam mallet, quam eloquentię patrem nominare, quo; tum ipse ad Atticum, tum GADDIVS in Boccalino, MACCIVS in Zopio, & alii vsi sunt vocabulo. his enim de causis grçcas adhibuit Boetius prosa 2. lib. 2. prosa 21. lib. 3. & alibi tam crebro dictiones. his etiam impulsum reor Martialem, & Famianum, vt ille lib. 8. diceret.

Hoplomacus nunc es? fueras Ophthalmicus ante.
hic vero lib. 2. prolus. 2. vsurparit *Parerga* Pyrgopolinicas, Mytistorias, & alia eiuscemodi potius, quam nitida latina. Quod vero speciatim ad nomina; quanta cū notationis iactura extrarium ad idioma traducantur, deprehendimus ex

Pla-

Platone, & Ficino in Cratyl. & Dionysio de diu. nom. atque ex lexicis Hebraicis, & Græcis. Sciscíteris ex hebraicæ linguę peritis, quantum insit mysteriorum nominibus *EVAE*, *& VIRAGINIS* Perpendas vim dictionis *NIMRESET* lib. 3. Regum cap. 2. ac deinde rationem subducas; an sit merces operę traiiciendi prętet necessitatem in exteram linguam vocabula arcanis eruditionibus plena. *Maledixit*, ait ibi ex nostra versione Dauides, *mihi maledictione pessima*. Non enim potuit Latium idioma suppeditare dictionem interpreti, quę omnia inclamationis illius probra perstringeret .f. *Extraneus*, *Moabita*, *Impius Tyrannus*, ac demum, *inuisus Deo*, quæ vna tantum vox Hebraica confictà ad hęc exprimenda complectebatur. Consule 1. Deuter. cap. 17. & 23. num, 3.

Audiamus præterea quanta cum iucuuditate, & dignitate *IOANNES ECCLESIAE DEMOSTHENES* appelletur *CHRYSOSTOMVS*, assuetisque iam ad Gręcum titulum auribus quam languida sonet interpretatio latina. *IOANNES OS AVREVM*, *PETRVS CHRYSOLOGVS*. *PETRVS AVREI SERMONIS*. non enim subuereor, ne de his pronunciemus dictionibus, quod Plinius de Carchedoniis lapillis subatri, refractique coloris, qui ad Solem, vel facem admoti vehementius emicant, longe iactant fulgores.

Cons-

Conſpicare ſodes iu Torgerii Mercurio cognomen *ARGIPHONTIS*, quo illius celebrat eloquentiam; eodemque, ſi libet, cognomento Ciceronem exorna, agrariam qui legem eodem ſuadens, ac diſſuadens die, Populo Rom. Argo nimirum centoculo claudere, vel aperire viſus eſt lumina pro ſuo arbitratu.

Nec mihi obiiciat lepidus Cleocriticus arcenda eſſe a ſcriptis gloſſemata, tollendas Cęſaris hortatu, quæ legentes morari poſſunt ſalebras. hoc enim de declemationibus, communique vſu loquendi monitum intelligo; non autem de elogiis, quę ſane per ocium legere, perlegere, ac ſerio valemus introſpicere. id quod facere prohibemur in declamationibus audieudis, & inter quotidiana colloquia. Sed enimuero ad Cynoſarges Perſii, Iuuenales; Plauti, Lactantii ad acro. ceraunia? Interdicendum eſt aqua, & igni omnibus ijs, qui vel gręcis vocibus, vel ſub obſcuris eruditionum formis moram legentibus iniiciunt? Superſependum cenſuit aliquando ſplendidiſſimum lumen Eccleſiæ AVGVSTINVS illuſtrandis amplius Diuinis Oraculis, ne Profetici eloquii ſapor obtunderetur. De Ciuit. lib. 18. cap. 28. mirum enim quantum oblectetur, ſibique plaudat ingenium de triumphata poſt luctam eruditione.

Ad hæc quod genus exornationum, qui ſtylus admittet atticas voces Latio donatas, ſi ab elogio explodantur?

Dic-

Dictionem equidem mysterio plenam cum Io.B. Ferrario de Hebraica disciplinarum omnium origine nusquam auuersarer, & cum torosum masculum, aut effeminatum, & molle fingi possit eulogiũ: aptarem sane caracterem ad argumẽtum; attamen illud potius, quam hoc commendarem, quod nullo operæ fructu puerili voluptate percurritur. En tibi

PRAECLARISSIMI ABB. SARACENI SVMMI HVIVS ATHENAEI PROSPECTORIS

Eulogium.

QVeis vero pręconijs Calame vni Arpinati expingendum Apelli GHERARDVM SARACENIVM effinges? ETRVSCVM PROTOGENEM, ITALICVM AMPHIONEM nuncupa, LATINVMQVE DEMOSTENEM. Transmitte ILLVM ad posteros prominentibus fortunę & animi dotibus inclytum, Heroaingenuitate, philantropia conspicuum. repis adhuc. Inscribe demũ TYRRENAE PHOEBVM ERVDITIONIS DIGNVM, QVI TOT TANTIQVE LYCEI SYDERIBVS PRAESIT MODERATOR, ET LVCIFER. Cæterum

EXCELLENTISSIMORVM LAVS EST ADMIRATIO.

Vsur-

Vſurpaui Philantropiæ vocabulum, neſcius quo pacto niſi per longum verborum ambitum vim huius dictionis exprimerem; Speuſippus enim hanc definiens ait: Philantropia eſt affectio hominum amicitię conciliatrix.

Verbum autem vetuſtiſſimum Attaciſſo pro repo ab Attis deductum, quo antiquarius aliquis vſus eſſet, omiſi, vt ne fruſtra eſſem obſcurus.

De Antiquis Vocabulis. *Cap. XXI.*

SED detur inquies, Gręcis dictionibus aliqua in elogiis ſedes; quippe quæ graues, ac ſenſibus fętæ: num vero e Plauti piſtrino *Caſmenas* pro *Camenis*, *Clueo* pro *Appareo*, *Auerrunco* pro *Auerto* ad aulam latinitatis reuocabimus? an cum eodem, quia Hercules cenſuit, Dijs tribuendam fructuum decimam, quæ Regibus dabatur *Herculaneam partem* pro *Decima* ſufficiemus? Adeas ad Sext. Aur. de orig. gen. Rom.

Equidem *Camillum* pro *Puero ingenuo*, *Ciprium* pro *Bono*, & *Partem Herculeanam* pro *Decima* non vſurparem, niſi ludendi, alludendique ad nomen proprium, vel cognomen, occaſio ſuaderet, vel quacumque ratione in rem maxime caderet. Quamuis Paulus VENTVRINVS in elo-

elogio ad Franciſcum PONAM ex Laertio adhibuerit *Creperum* pro *Dubio; Purrime* pro *Puriſſime*, & alia. Franciſcus TAVRELLS ad eundẽ. *Muſagetarum oculis oculiſſima*. Bartholomæus TORTELLOTTVS in Antonio BRVNO. *Hicce litterariam rem auxit. Teſtimonium hocce, qualis auctor ſciet*. Laurentius PIGNORIVS in SCAMOCCIO. *Hanc mi lector*, & alii paſſim *Maxumum, optumum, lacrumas*: & ſi quę ſunt minus aſperæ, antiquas dictiones elugiis interſeruerint, & epigraphis. Quos tamen illud facile nomen nomen excuſabit, inducendi .ſ. ſcriptis faciem venerabilis antiquitatis. Qua forſan retione Catullus, alioqui cultiſſimus ab hac locutione non abhorruit. *Quoi dono lepidum libellum*. Quin & Ioſephus LAVRENTIVS alteram *SVAE LVCAE LVCEM GVIDONEM*. .ſ. *VANNINIVM*, hoc eſt *Ouidium ſęculi felicioris*: laudauit aboriginica lingua, in elogio Vicentiæ impreſſo cum eiuſdem Vanninii poematibus. Eundem ego quoque menſibus elapſis cum Ouidio contuleram elogio huiuſcemodi caracteris.

Tei apage Teris abeime
Solmonenſe Propudium.
Iuuenilitatis Achernus, bene addita
Aurunco, &c.

Quibus ſcribendis ſuperſedeo. ne ad antiquariorum partes omnino videar accedere. cum laude

enim

enim, vel probro transalpini plerique omnes antiquis sparsa vocabulis efforment elogia diiudicare non ausim. licet me minime fugiat conciliari quandam elogio maiestatem, per eas dictiones, quæ adhuc prorsus a Latio non exularunt. quales sunt, *optumus, queis, sies.* quibus tamen cum tanto iudicio vtendum existimo, cũ quanto natura vnum, aut alterum neuum humana locat in facie ad gratię commendationem. Quis enim PIGNORIVM ob vnam, antiquo more vsurpatam dictionem taxabit? aut quis carpet Franciscum Mariam DEL MONACO, qui ita GADDIVM affatur. *Tibi genuinam Bibliothecam inuideo, alteram quam viuus circumfers pectore illo tuo Musis sacro: alteram regio splendore insignem, qua Florentiæ cluis.* nisi quis fortasse dixerit nimis ibi importunam videri illam antiquitatem: florentemque orationem obductum situ verbum, nec numero insigne, nec dignitati par multum dedecere.

Tunc autem laudabimus vnum, aut alterum in eulogiis priscum vocabulum: cum aliquid eruditionis occulserit: quum solenni formula; ab antiquis adhibitum fuisse constiterit, vt sanciendorum federum, sacrorum rituum, precationum voces peculiares. Apuleium prætereo, LIPSIVM accersiens, & PVTEANVM, quorum alter in lib. de Constantia, alter in reliquiis Prisci Conuiuii vsurpauit hanc dictionem, *Præficine,*

quam

quam Erricus probam, elegantem, multi ponderis, & oculti valoris profitetur. Hæc nihilo secius, perinde ac Turcica vox, dum à me in Elogio ABB. SARACÆNI pronunciaretur occulto quorundam murmure, ac pene sibilo excepta. Inquiunt enim hi, ecquis nam Lipsius, quanti Puteanus, vel Barclaius? respondeat totius orbis Echo tantorum nominum proclamatrix. Meminerint hi dixisse Lipsium; professum esse Puteanum, se palpari, quam videri malle: nec probare, quod probaret vulgus. fateor igitur præcipuam elogio laudem comparari dictis, ac translationibus illustribus, festiuis, ferientibusue paronimiis, lusibus, & eruditionibus, quę multum ponderis, parum obscuritatis adhęrunt. Sed si qua reconditę inuestigationis nobis se offerat opportunam, ab hac ne vsurpanda abhorrebimus? Videas, quæ ipse in Miscellaneis ad elogium ABB. LANCELLOTTI. monearisq; semper illi operari Mercurio, qui vt Vlysses ad Eumeum lib. 15. Odiss.

Omnibus mortalium actibus gratiam impertit. Quis enim, cęteroqui adeo, eruditionis vel, antiquitatis amator est, qui frequentibus lectores senticetis induat, vel huiuscemodi siccitatibus defatiget abq; reprehensionis discrimine?

QVOD
ARCHITECTONI
Sæculi sui, aui omnis
Optimo Max.
VINCENTIO SCAMOCCIO
Architectones omnes, siue Græci fuant, siue Latini
fuant, ipsaque Architettonice fasces sub-
mittere debeant, hocce opus
æterna nominis
eius
Architectio,
&c.

Demum disquirendum superest, num satius sit elogiastæ, vsitata vocabula, atque obuia cunctis vsurpare, an quę minus, cuiq; in promptu, cũ quadam eruditiuncula. Certe, ex iis exornationibus, quę parum eulogiis sunt absimiles, licet characteré instituere. Iuuenales, Persii, Flacci maluere erudita, quam simplici, ieiunaque oratione Poemata sua efformare. Quod si in illis minime dãnantur, vel obscurissimæ eruditiones: cur minus abditę in elogiis redarguẽtur? Libauit Venusinus fabulas, historias ex ritibus, moribus, & quocumque eruditionis genere scriptis suis robur, & dignitatem quæsiuit: parum solicitus, an primo esset intelligendus aspectu. *NON ENIM IN VATIS VITIVM*, aut elogiastę cedit inscitia legentium.

Si vero quod dicebamus, ante pedes posita negligens elogiastes species rerum pro generibus sufficiat, veluti pro lauro Elicem, vel fętum arboris pro ipsamet arbore, vt corymbos pro hędera: meo quidem iudicio promerebitur laudem; modo in his non sit nimius. Adstipulatur sententiæ meę eruditissimi ingenii vir sępe laudatus Franciscus Maria FIORENTINVS in Adolpho verbis hisce. *Saxona Pyrites excutiente scintillas Alecto furiato Antogonistæ spiritus suppeditarat igneos.* Pyritem .s. pro silice vsurpans cum dignitate orationis.

De Argumento Eulogię. Cap. XXII.

NVlli dubium est, quin tunc nobilem habeat elogiastes delectum, quum in argumẽto versatur, in quo non tam copia, quã modus illi quęrendus est: nihilosecius ferientes sępe argutias, exhibet res paruula, & vilis. Plinius in lusciniæ cantu lib. 10. cap. 26. in Araneę artificio lib. 11. cap. 24. Cęlius Calcagninus in culicis forma, & agilitate, magnam copiam inuenit encomiorum: nec nos pręterit, cum quanta lepiditate amœnum, & feracissimum Equitis MARINI ingenium luserit, dum araneam, apem, & alia id genus exilia descripsit.

Hęc ad ea pertinent, quæ capite primo subin-

 nuera-

nueramus, eo enim vsus deuenere recentiorum ingenia, vt quaque de re, quæ exornationi subiaceat contexant eulogias.

Referam ipse cap. 27. ex Romanis Francisci SVVEERTII Muscę epitaphium, & nobilissimus GADDIVS Vates lepidissimus arguto, periucundoq; lusu, muscam semisepultam alloquens ostendit, quantum laudis ingeniosi Myrmecides, & Callicratides in talium opusculorum efformatione difficili promereantur. in quibus tamen hoc habent emolumenti, quod nihil propemo-est cur subuereantur exibita ab aliis fuisse acumina, quæ ipsi commenti sint. id quod in argumento Illustri quam sępissime contigit. vt Iuuenalis Satyra I.

De Laudum Frugalitate.
Cap. XXIII.

QVemadmodum Vespæ ita, & Momi, in epistolis, inquit Ficinus, firmis illę pomorum, hi laudādarum partibus rerū posthabitis; ibi sidunt, ac perstrepunt: vbi vel minimum offendunt labis. dum accusatio encomiastica de Illustrissimo ABB. SARACÆNO, quæ in miscellaneis, legeretur; non defuere, qui quasi excusantes, me nimium amantem laudatorem compellarent: homines sane, qui vt Tacitus ann. lib. 3. *Grecorum instar sua tantum mirantur, vel*

vetera

vetera extollũt, recentium incurioſi. Noſtræ Iuppiter eſt mortalitatis conditio, vt flocci faciamus pręſentia. preclariorumque virorum parum cognita virtus, tum demum eluceat, vbi lucere deſierit. Ita vt ſcite Propertius.

Omnia poſt obitum fingit maiora vetuſtas,
Maius ab exequijs nomen in ora venit.

Videant hi quantum picturę per Buonarotium acceſſerit excellentiæ; per quem geſtum, & greſſum pene eſt conſecuta: proferant argumenta quibus conſtet veritas huius de Parrhaſio, ac Zeuxide commenti: legant Veſpaſianum Strozam Erot. lib. 2. Piſano de Pictore canentem.

Nam neque per Zeuxis, nec par tibi magnus Apelles.

Hic autem quando de præconiorum frugalitate perfunctorie tractandi ſe ſe dat locus. nollem equidem huius argumenti ſcriptorem ſic in laudes effuſum, vt exclamet. 3. annal. Tiberius *o Homines ad ſeruitutem paratos*. ſed, & ægre ferrem; ſi Stoici ſupercilii Criticus diceret cum Satyrico:

Reſpue quod non es, tollat ſua munera Cerdo.
Tecum habita, & noris quam ſit tibi curta ſuppellex:

Danda eſt aliqua amori; aliqua elogiaſtę genio; & ingenio venia. quandoquidem *vituperare videtur*, ex antiqua paroemia, *qui parum libero ore commendat*; nec iniicienda calamis vincula;

aut examinandum hoc genus exornationum ad libellam historicæ veritatis, vt ex Plat. in Conu. Proferamus autem de his, quę suademus maiorum exempla, recentiorum testimonia.

Vespasianus Stroza eodem abs te amice tantopere adamatus in sermone de Daniello FINO Poeta non insuaui sic canit.

Quę bona mortales cupiunt, ea contulit in te
Omnia pręsentis placida indulgentia fati.

Sed Poetæ, non elogiastæ permissum inquies, vt laudes attollat. Flocci namque fiunt elogia fide labefactata. Agedum perlege Velleium lib. 1. ita de Homero scribentem.

HOMERI EVLOGIVM EX VELLEIO.

Clarissimum deinde HOMERI illuxit ingenium sine exemplo maximum, qui magnitudine operum, & fulgore carminum solus appellari Poetà meruit. in quo hoc maximum est, quod neque ante illum, quem ille imitaretur, neque post illum, qui illum imitari possit inuentus est.

Quid, quod Tullius, vt indefessus virtutis assecla, sic glorię percupidus L. Lucæium hortatur, in se vt exornando negligat vel leges historiæ? quid igitur elogiastæ licebit, si tanta datur licentia scriptoribus historiarum?

At vero nos ad recentiorū elogia conuertimus.

VES-

VESPASIANVS MORVS
DE ANTONIO BRVNO

Huius si elegantiam spectes Hetruscam Pitrim illi sua verba commodasse nil ambiges. si vim intueare; Pitho illius labris insedisse putes. Si sensa examines, Stagyritę animum in illum commigrasse iures. Si maiestatem denique contempleris, Iouem ipsum illius numeris locutum esse existimes. nec immerito, cuius diuinum ingenium, genius, ars, & natura veretur, admiratur, &c. quæ excribere temperabo.

De eodem Bartholomęus TORTELLOTTVS.

HICCE
Heroibus expressis, numina
exprimit oraculum
ab Apolline,
vocem a Musis acceptam cognosces.

At vero Franciscus CLARVS, si quid vspiam laudi supererat corradens inquit.

ANTONI BRVNE
Tu splendore verborm, figurarum copia, vi explicandi, orationis proprietate poetarum nobilium bono orbis eruditioris, atque elegantioris omine primus & vltimus habitus es. Tibi sine æmulo claro omnes inuident, tu nemini. Tibi Cha-

vites, quibus tu ductor, Musæ, quibus tu victor ô Apollo cui tu conuictor certatim laudem dicunt.

Ac si quid his ad suffundendum ruborem deesset accedit Adrianus GRANDIVS cum hoc elogio Francisci PONÆ:

Cedat Capiti tuo laurum
Francisce PONA.
Elegantioris quicumque carminis Architectus Vates.
Nullus Atlas virtutũ tuarum orbem feret, &c.

Legerint hi quippe dictum illud Petri Matthei in Præfationibus historiarum videlicet, *nec Diis nimium Thuris, nec proceribus vnquam nimium tribui præconiorum.*

Hęc non eo consilio protuli, vt detraham amplitudini tantorum virorum. sed vt ne me lacessas amice, si quando tantillum calamus excurret. Arridet mihi tamen illa præconiorum moderatio quam GADDIVS Velleium secutus adhibuit in Elogiis DANIELIS HEINSII, BARCLAII, GVARINI, & aliorum. Velleius enim, ne fidem laudibus abrogaret Africanum e. g. concelebrans. *Vir*, inquit, *omnibus belli, ac togæ dotibus ingenijque, ac studiorum eminentissimus sæculi sui.*

Cęterum, si ex elogiis, & panegyricis amplificationes eximas, & excessus quoscumque; non-

ne

ne Panegyristes, & Elogiastes videbitur *Delphinus in sicco, vel remigibus pennis conuulsis Aquila?* Examinentur apud historicos, perpendantur apud Claudianum Stiliconis virtutes; promat se ex Velleio, promat e Cornelio Tiberius, o quam sibi vterque dissimilis. Nil opus est recenseam verba.

OCTAVII TRONSARELLI.

DE FRANCISCO BALDVCCIO
quem
Siculum PINDARVM compellat,
cuius nominis splendore,
plusquam suis flammis
AEtna collucet.
Cuius honorum acclamationibus plusquam
suis æstibus
Trinacrium personat
Mare.

Nulla enim fere poetica elogia absque huiuscemodi excessibus reperies. hęc autem eo tolerabiliora videntur, quod cum Balduccium efferant, deprimunt neminem.

De

Cap. XXIV.

ILlud mihi elogium probatur quammaxime, præsertim si de scriptoribus sit, aut ducibus, virisq; dignis imitatione, quod peculiares vniuscuiusque virtutes palam facit. Tum quia eiusce-modi oratione non Dux, aut Vates imaginarius, sed is, cuius laudes prosequimur, viua, vt Famianus ait, virtutum commemoratione celebratur; tum etiam quia illorum laudes sunt aliorum institutiones. GADDIVS ita Co. Fuluium TESTIVM commendat, Angelum GRILLVM, & alios complures. Hæc de Co. Fuluio TESTIO Lyricorum nostri sæculi nulli secundo.

Ille Thebani, & Venusini Vatis Æmulator

Præstantia styli nobilissimi, digressionum pulchritudine, grauitate sententiarum. Has, vt alios eloquij flores non raro ex optimis Latij cultoribus excerpsit. Lasciuiam rerum, verborum fœditatē qua paginę aliquorum contaminatę sordescunt, exosus, erudita carmina honestatis limitibus circumscribit, haud ignarus Musas esse virgines, non scorta.

Sed Elogiastę non nunquam aures Aristophani prębent in Platonis conuiuio suadenti adhi-

bere;

bere; maxima queque rei quam laudamus siue re vera adsint, siue non adsint: pro se stare credunt illorum sententiam, qui encomiũ ab epoenò vera, & verę simili commendatione secernũt apud Rhodigin. lib. 7. cap. 5. atque hinc fit vti multa genio suo dent, permulta eorum auribus, quibus perinde ac Themistocli, *nullum dulcius acroama, quã quo illorum prædicantur virtutes*. Cic. pro Arch.

Cęterum abhorrens omnino laudatio, nullum vbi commendandi argumentum, quorsum amabo, nisi ad laudatoris, & laudati criminationem? in has enim Mercurii Luscinias Iuuenalis saty. 3.

Quid, quod adulandi gens prudentissima laudat
Sermonem indocti, faciem deformis amici.
Et longum inualidi collum ceruicibus ęquat
Herculis Antæum procul a tellure tenentis. &c.

Verum de hac re capite 23. Nunc quod institutum ad sermonem facit, traiiciam huc ad exemplar modestissimũ Eulogiũ Laurentii PIGNORII notis Forstnerii præfixum, quo, & laudes scriptoris prosequitur, & frugem ex illo percipiendam subindicat eruditionibus, monitis, cultura elocutionis, ac lusibus.

Elogium.

Per has notas illic tibi obscurus alioqui, & implexus, notior, & planior fiet. per has ad Tiberianas tecnas, vt declines; non vt fallas pertinges. Ad hanc Cynosuram tu, & in malefida popularis auræ flatione, & in dubio principalis malaciæ salo; inuidiam inter, & gratiam tutus enauigabis. Hic denique edisces, & alios regere pro imperio, & te ipsum pro dignitate. Te felicem TACITE his notis; te feliciorem FORSTNERE hac Taciti notitia. Præconia sua vltro tibi commodat Tacitus: non iam TACITVS sed merito LOCVTIVS, vt posthac nulli sit Tacendus ori;

DE SCRIPTORIBVS. *Vnde petenda Elogiorum exempla.* *Cap. XXV.*

SIcut virtutes historię in vno simul nunquam repertæ; e pluribus identidem auctoribus sunt deprehensę; ita, & conditiones elogii; quibus ad hanc, quam obtinet excellentiam sensim deuenit. ac licet maiora suæ dignitatis incrementa recentioribus ijs, quos crebro laudaui, accepta debeat referre; non tamen diffiteor pro-

prouectum per Velleium precipue ad laudem ingentem. in eo siquidem accurato, saliūq; , ac sententiarum studioso scriptore absoluta propemodum, ac specie sua peculiari a ceteris exornationibus fere seiuncta conspiciuntur elogia.
Prætereo qua puro,qua elaborato stylo innumera,que operosum nimis esset referre,duobus contentus, vnde ipsius acrimonie coniici possint.

Specimen Acrimoniæ, ac Salium
VELLEII PATERCVLI.

CINNA *Seditione orta ab exercitu interemptus est, vir dignior, qui arbitrio victorum moreretur, quam iracundia militum, de quo vere dici potest, ausum eum, quæ nemo auderet bonus, perfecisse, que a nullo, nisi fortissimo perfici possunt; & fuisse eum in consultando temerarium, in exequendo virum.* Hist. lib. 2.

Et de Caio Cesare eod. lib. 2.

Secutus est Consulatus C. Cesaris, qui scribenti manum inijcit, & quamuis festinantem in se morari cogit. Hic nobilissima Iuliorum genitus familia, & quod inter omnes antiquissimos constabat ab Anchise, & Venere deducens genus, forma omnium Ciuium excellentissimus, vigore animi acerrimus, munificentia effusissimus, animo supra humanam

nata.

naturam, & fidem euectus magnitudine cogitationum, & celeritate bellandi; patientia periculorum, Magno illi ALEXANDRO; sed sobrio, neque iracundo simillimus; qui semper, & somno, & cibo in vitam, non in voluptatem vteretur.

Huic proximum in hoc genere existimarem, L. Florum concinnum plerumque, & succi plenum, nec traslationibus infrequentem, pluraq; dicentem quàm dicat id quod spectat ad aculeos, & breuitatem. Hęc ille de Cęsare lib. 4. ex quibus de reliquis iudicium facies.

Itaq; non ingratis Ciuibus omnes vnum in Principem congesti honores. Circa templa imagines, in theatro distincta radijs corona suggestus in curia, fastigium in domo, mensis in cœlo. ad hoc Pater ipse Patriæ, perpetuusque Dictator. Nouissime dubiũ, an ipso volente oblata pro rostris ab Antonio Consule Regni insignia. Quæ omnia velut infulę in destinatam morti victimam congerebantur, cum reliquis visu dignis, quæ, & superiora elogia Velleii alibi fortasse examinabo, & quanti sint ponderis ostendam. Interim autem animaduertendum suadeo, non pręteriisse Paterculum, trium superlatiuorum numerum, idemque effecisse, dum laudes Tiberii Gracchi verbis hisce recenseret,

TIBERIVS GRACCHVS Vita innocentissimus, ingenio florentissimus, proposito sanctissimus, tantis denique exornatus virtutibus, quantas perfecta natura, & industria mortalis conditio recipit, &c. hist. lib. 2.

Hoc iis obiter indicatum velim, qui thesibus, ac libris pro nuncupatoriis litteris prefigentes elogia, nimii prorsus hac vna diligentia sunt, instruendi longum superlatiuorum agmen, & plerumque synonymorum, cum ceteroqui de fine arguto, & illustri non curent, de quo veteres, & recentiores tantum laborarunt.

Sed vt ad Florum redeamus, est equidem sententiolis acer, & breuis, sed interdum subasper, nec adeo breuis, quin elogialtes aliqua illi possit eximere; exemplo sint, que de Remi nece, lib. 1. cap. 1. videlicet.

Ad tutelam Vrbis noue sufficere vallum videbatur; cuius dum irridet angustias Remus, idque increpat saltu (dubium an iussu fratris) occisus est. prima certe victima fuit; munitionemque vrbis noua sanguine suo consecrauit.

Quæ ita concinnanda, expolienda mihi videntur.

Cuius angustias dum saltu irridet Remus (dubium an iussu fratris) occ sus; prima certe victima, nouæ munitionem Vrbis sanguine suo consecrauit. hoc enim pacto expunguntur *EST*, *FVIT*; tollitur e

medio

medio asperitas illa. *IDQVE increpat saltu.* in quam se tum alibi, tum in prologo induerat his verbis. *Vt si quis magnitudinem Imperij cum annis conferat, ætatem vltra putet.*

Sexti AVRELIJ calamus videtur epigraphis, quam elogiis accomodatior. Perpēdatur Metelli Macedonici descriptio apud Velleium, mox apud Sextum; inspiciatur quam cultus, quam argutus alter, alter vero quam incōptus, & eneruis.

Platonis elogia de Amore, cum ad fluentem encomij stylum multum accedant, ad genuina figuræ simplicioris, quibusdam expunctis, vel immutatis possent reuocari.

Quæ D. HIERONYMVS, ac Trithemius de scriptoribus Ecclesiasticis, & viris illustribus scripsere, magnam elogiorum segetem nobis suppeditabunt. Pulcherrimos vero lusus; aculeos deprehendemus ex Io. Baptista MARINO.

Morum, & animorum Icones exprimit Io. BARCLAIVS: conspicare, vt alias prætermittam, IBVRRANIS Elogium Argenidis lib. 1. Descriptiones Catilinę, Semproniæ apud SALLVSTIVM, Philippi Macedoni apud CVRTIVM. Has enim legendas diligenter suadeo, tum quia ex illis pendet iudicium, quod descriptis de viris in poemate vel Historia ferendum est, ad eorundem facta, dicta, consilia introspicienda; tum etiam quia docent vitutes, habitus, mores perpaucis verbis sub oculis legentium

tium ponere, *& ad viuum*, vt aiunt, *exprimere*.

Quod vero ad Pauli IOVII adulti iam nominis elogia. Sunt quidem in illis haud pauca laudis, & imitationis digna: sed, & multa reprehendenda, vitanda. Prostituerit interdum historicam fidem, preterierit narranda; narrauerit omittẽda non pauca: repetierit familiarum stirpes ad primam, vsque omnium parentem: explorauerit, vsque ad oui luteum causas ęrumnarum; nihil laboro. ad ea calamum aduerto, quæ tu te legere potes, ac trutinare; vt mecum vna fatearis precipue scriptoris nugacitatem.

Vbi GOTHIFREDVM BOLIONIVM purpurea Crucis Thessera ab VRBANO S. PONT. insignitum narrauit. *Incredibile dictũ est*, ait, *quo militum concursu, quo ardore procerum, quo diuitiarum, penatium, vxorum, & vitę deniq; contemptu rubrę cruces peterentur. Diuino enim quodã furore cõcitatis animis*, &c. quæ, quid age ad Gothifredi commendationem? sub icone quam eleganter?

In elogio pariter Actiolini, cur adeo prolixus; vt nihil ab historico dissideat? Num illi sermo erat de re minime vulgata, an orbi toti notissima? Hoc sane crimen euitauit GADDIVS, qui claris in rebus, si animaduertamus, quam breuissimus est. declinauit etiam, laudatus a me paulo ante Iacobus CAVACCIVS PATAVINVS ni mea de scriptoris nomine, & cognomẽto me fallit memoria, qui breuia, & luculenta

fcripfit de *ANACORETARVM REBVS GESTIS* Elogia. Et ad Iouium rediens. Cur, qua neceffitate compulfus tot, tantaque SARRÆ elogio intermifcuit de BONIFATIO VIII? Quorfum tam multa, quæ in Ellogio Caftruccij? Quid caufę ob quam excufemus omnem eius Triumphi apparatum prænarratum, vt ipfe quoque fatetur, ab aliis? Quid, quod in Alphōfo DAVALO, totam Ludouici AREOSTI fabulam de auaritiæ monftro ab eodem HEROE confoffo aniliter iterum, quafi inauditum aliquid renarrat? ex his reliqua.

Mihi fane haud fatis conftat, quod inter hiftoricas ipfius narrationes, & elogia intercedat de ftylo difcrimen. Vtinam fuiffet Iouius vbiq; elogiorum, qualis in Ifabella *ARAGONIA*, & nonnullis aliis. Quid autem fentiam de collationibus Plutarchi rogat hic Eruditiffimus Vir COSMVS BILANCETTVS. Equidem vix hęc, quę fubiicio ex D. Io. CHRYSOSTOMO cenfeo ad encomium aptari; tanta eft in altera comparationis parte amplificatio. Iudicent litteratum confulti: an cōciliationes illæ infcribi debeant elogia: non enim eius fuit fcriptoris confilium, infigniora in vnum quafi fafciculum elegantiffimum cogere; fed ea tantummodo, quę ad parallelum facerent hiftorica narratione libare.

BLA-

BEATISSIMI CHRISTI PRAENVNCII A DEIPARA VIRGINE SANTITATIS APICIS

PRAECONIA.

IOANNES Schola Virtutum, Magisterium Vitæ, Sanctitatis Forma, Norma Iustitiæ, Virginitatis Speculum, Pudicitiæ Titulus, Castitatis exemplum, Pœnitentiæ Via, Peccatorum Venia, Fidei Disciplina. IOANNES Maior Homine, Par Angelis, Legis Summa, Euangelij Satio, Apostolorum Vox, Silentium Prophetarum, Lucerna Mundi, CHRISTI Metator, Domini Testis, ac totius Medius TRINITATIS.

Hęc D. CHRYSOSTOMVS Homil. XV in Matth. quibus e regione posuit, quo magis impietas Parricidii emineret.

HERODIS PROBRA.

HErodes prophanauit Templum, Sacerdotium sustulit, confudit ordinem, temerauit regnũ, corrupit quicquid erat religionis, quod legis, quod vitæ, quod morum, quod fidei, quod disciplinæ perdidit, & cõfudit: Herodes sicarius in Ciues, in Nobiles latro, in socios populator, in domesticos prædo, plebis inte-

interemptor, occisor filiorũ, in extraneos homicida, in proprios parricida, inebrians terram cruore, in siti sanguinis permanebat.

Aphtonius perpulchram Hectoris, & Achillis comparationem texuit. Cap. X. Velleius paralellum Bruti, & Cassij; virtutesque vitiis mirifice oppositas Liuius de Anibale, Cicero de Catilina, & LAVREDANVS de Io. Baptista MARINO vnico ductu calami expresserunt.

Vide ad calcem elogii de NICCOLAO. V. quod iudicium feram de elogio Florentinorum virorum doctrina insignium, quæ a Francisco BOCCHIO desumpta nuper mihi ad manus deuenere.

DE CENOTAPHIO, TVMVLO. Siue Elogio Sepulcrali. Cap. XXVI.

CEnotaphium siquidem a *Cenos* deductum, quod est vacuum, & *Taphos*, quod est nobis sepulcrum; propriè tumulus honorarius dicetetur; qualem annuis in defunctorum in feriis super monumenta excitamus. inualuit tamen vsus nominis huius traducendi ad sepulcrales eulogias, quibus iustorum pompa decoratur.

Quale esset olim Cenotaphium, describit Maro his versibus lib. 3. Æneid.

Solemnes tum forte dapes, & tristia dona
Libabat cineri Andromache, manesq; vocabat
Hectoreum ad tumulum; viridi quem cespite inanem,
Et geminas causam lacrymis sacrauerat aras.

Quid vero deriuatum modo ad sepulcralem eulogiam cenotaphium designet; ostendit Vinc. GALLVS, dum hoc Catulli epigramma Cenotaphium compellat.

Multas per gentes, & multa per aequora vectus
Adueni ad has miseras frater ad inferias:
Vt te postremo donarem munere mortis
Et mutum nequidquam alloquerer cinerem,
Quandoquidem fortuna mihi te, te abstulit ipsum
Heu miser indigne fateor adempte mihi.
Nunc tamen interea prisco qua more parentum
Tradita sunt tristes munera ad exequias,
Accipe fraterno multum manantia fletu;
Atque in perpetuum Frater Aue, atque vale.

Cenotaphium itidem est, eiusdem Epigramma XXIII. nempe.

Frangat Idumaea tristis victoria palmas.
Plange fauor: saeua pectora nuda manu.

Ad hoc etiam reuocarem Neniam, quam scriptor ille ad epitaphium redegit. huius satis

est exemplum indicasse apud Mar. Æneid. lib. 4. scilicet.

Dulces exuuiæ, dum fata, Deusque sinebant. &c.

Sed quod maxime e re præsenti est; ex multis Francisci SVVEertii, & aliorum epitaphiis, ac cenotaphiis, hæc inter vtraque animaduerti discrimina: quod pressius, ac minus liberum sit epitaphium, cuius breuitas pauciores adamat lusus. quod raro attingat fabulas, queratur, interroget, sibique ipsi per prosopopeias respondeat. Contra Cenotaphium lætioris sit, ac liberioris styli, lusibus pene luxurians; presertim si carminibus structum sit, deque amasiis, pupulis, aut ludicro argumento; quod denique interrogationibus frequentius, ad euitandam varia elocutione molestiam prolixitatis.

Hic vero libitum est commonere, vt non diductas adhibeamus interrogationes, qualis fortasse videbitur hec.

Esto iure Pater. cur pignora parua necantur? in epigrapha, quam huc ex Nicephoro lib. 18. cap. 51. traiicio. s.

O ego mille modis Regum miseranda duorum
Mauritij coniunx, filia Tiberij.
Edocui Regina satis, fecundaque Mater
Quam sint multorum commoda sceptra ducu.
Militis insani iaceo, populique furore,
Et mecum Coniunx progeniesque iacent.

No

Ne misera Niobis ego sum vitale cadauer;
Plura ne Cißeis, plura Iocasta tulit?
Esto iure Pater, cur pignora parua necantur
Humani prorsus nescia turba doli?
Non iam Roma meis carpes de frondibus vmbras
Eruta threïcio stirps Aquilone iacet.

In qua etiam damnarem libata commenta Poetarum ad captandam commiserationem.
Doleo non posse visa iam pridem mihi TORGERII, & REMONDI elogia sepulcralia comparari hic, vbi librorum caritate laboratur. quocirca nemo demiretur, quod parum fidens memoriæ ipsas eorum formulas, quæ perutiles imitantibus essent subuercar in medium producere.
F. Remondi talia sunt characteris specimina. *Excussæ ex hoc marmore scintillæ, & lacrymæ: hæ doloris, illæ amoris nunciæ*. & alia id genus, quorum segetem e vatibus, tum veteribus, tum recentioribus colliges, tuo iudicio concinnandam, aptandamq; argumentis. si enim hic de quodam Presule suo consanguineo, qui senex meritis in ipso virilis ætatis limine occubuerat, *Bisdena*, inquit, *lustra notasset scalptor, ni*, &c. idem, & Martialis cecinerat epigram. XXVIII. de Scorpo. s.

Inuida quem Lachesis raptum trieteride nona,
Dum numerat, palmas credidit esse senem.

Ex quibus modo deprehendas ætatem in qua quis naturæ concessit, formam corporis, morum facilitatem, virtutumque prestantiam, solertibus ingeniis suggerere argutias, & amenitates. sit exemplo inter Suueertii Patauina Epitaphium Drencuuardi, de quo hęc omissis aliis.

—— in quem cum parens
Natura rerum, cunctas animi, & corporis dotes benigne contulisset, inuida mors verita, ne immortalitate eum quoque viuum bearet, gloria hęc, ait, mihi propria dicabitur.

Ediscas etiam quantum elegans, & artificiosa narratio ab incompta, ieiunaque dissideat: id quod serio animaduertendum, vel ex his quæ perfunctorie subinnui.

Verum ne dum hæc, quæ memorauimus, sed, & natalia, mortis genus, qua quis diem obierit supremum, locum in quo obierit, & alia eiuscemodi examinanda; num ex ijs educere possimus acumina.

Extat illud pulcherrimum Ausonii de morte Thrasybuli, cuius hoc initium.

Excipis aduerso, quod corpore vulnera septem
arma seperueheris.

Vnde sane, & ex eo, quod de Epaminunda historiarum testantur monumenta pulcherrima in

in laudem Apostoli ANDREÆ possumus deriuare: vere etenim

Rarum tam pulchro funere posse frui.

Posset ad exemplum afferri Elogium sepulcrale Andreæ CAVALCANTII, hoc .s.

Viator, aut fuge, aut plora.
Vel saxa docui lethi genere immanissimo mulier, &
si maiorum sanguine non satis clara,
proprij tamẽ effusione misere
insignis.
ELEGANS, LEPIDA, VENVSTA,
In ipso etatis FLORE, FLORAE in gremio,
FLORE citius extincta.
Vultu, aut VENEREM vici, aut æquaui:
Nec poteram AMOREM odiße,
AMORIS parens
Felix penitus Pudica, aut Excelesta, & c.

In quo, & miserrimi interitus causę, & conditiones non modico artificio, & aculeo denarrantur. *Raros enim* (paucis interiectis habet) *hac secula ferunt Hypolitos. ab his mutilata capite, & c. Tragicæ sortis adimpleui catastrophem. Ianus mihi manium claustra; non anni reserauit, oculis vdis fores. Nam luce, qua annus nascitur luce carui. concepi mater non peperi. vno ore; imo vnico vulnere geminam animam exhalaui.*

Ex principio epigram. 28. Martialis de scorpo.s.

Fran-

Frangat Idumaas triftis victoria palmas.

Innumerisq; ex epitaphiis a Suuertio collectis, loca indicantur exordiolorum illuftrium. Funebrium apparatuum notitia, quam tibi PORCACCHIVS, LAVRENTIVS, & cœteri ad hanc rem maxime conducet, recentiorumque præfertim lectio Poetarum.

Vt autem elucefcat,quo pacto fafces, & decora fint interponenda narrationi; qua ratione illuftria quędam dicta, & quafi epiphonemata cuilibet eulogii membro adtexenda; proferam a me nuper efformatum

DE FRANCISCO MONTAVTIO

Eulogium Sepulcrale.

SISTE Viator ad Fatorum molimina demirabundus. FRANCISCVS MONTAVTIVS MAGNVM BELLICAE LAVDIS EXEMPLAR extinctę in Matris aluo cum morte colluctatus, erupit ferro. quo tenerior,eo gloriofior ALCIDE; fama prius quam luce potitus. Exterrita ad tantę prodigium virtutis Libitina, neque martio cum Viro in Infubricis motibus, vel inter Belgicas clades pedeftria ductante fuit aufa conferere: feu non iuuit minoribus adhuc de fafcibus claro, minus clarus Triumphus. Hæfit, dum FERDINANDVS NOMINIS, NON REGIARVM LAVDVM SE-

CVN-

CVNDVS *ad maiora virtutis pręmia* HEROEM *euocaret. Tum vero* ETRVSCIS COPIIS PREFECTVS *Ferream aptans ad fistulam inexercitum militem, ictus frustro disrupta, sine cruore expirauit.* NE GLORIOSO *honestaretur sanguine Parricidium inhonestissimum.*

FOEmineus sic hastus submouet Hercules inglorios post edomita monstra,

Sic Fato cedunt CAESARES, *quibus ex orientibus facta cessere. Cum* IPSO TVSCAE MILITIAE FLOREM *collapsum* FLORA *deflet. Prærepta sibi in* MONTAVTIO *inuidiæ Trophæa lamentatur* ETRVRIA.

Scias autem Montautium perinde, ac Cęsarem e cęso matris vtero eductum ad lucē: quapropter ingeniose IOANNES PROTEHOVSCHIVVS Polonus disertissimus, & aculeatissimus de eodem scripserat. *Et cui ad lucem aditum ferrum aperuit; in ipso ætatis meridie ferrum extinxit.* Mirum quantum huiuscemodi euentus argutiarum suppeditent, quantam suggerant lusuum segetem admirabilium.

Habes in rythmis Marcelli Giouanetti lepidum illum vt appellant sonectum de pupulo, quem genitrix mortuum fuerat enixa. festiue namq; vbi hunc exorientem a cupidine extinctum narrauit, subiungit.

De la morte di lui piange, e si duole;
Perche non sa la mesta genitrice,
Che son le sue bellezze al mondo sole.
Ed hauer altro eguale a lei non lice:
Com'in Ciel non risplende altro ch'vn Sole,
E la Terra non ha doppia Fenice.

Sic Iulius Cæsar BAZARDVS æque conspicuus, atque argutissimus vtriusque Latii Vates eloquii de pulcherrima pupula matri postuma in epigrammate; in cuius vltimo disticо ostendit hoc decenter euenisse. *Cum sit par Auroram decedere, dum Sol apparet.*

Perpende aculeos dictorum illustrium, animaduerte Alcidem in cunabulis. Cum morte de vita dimicasse.

Omisi consulto, quod aliqui suorum elogiorum fronti præfixerant .s. *Franciscus Montautius Nobilis Florentinus*, vel *Patritius*: quod elegantius, ne viderer familiæ nobilitatem minuere, si nobilitatem ipsius decantatissimam testatam facerem.

Sæpius admonui aptandum esse stylum argumento: hac de causa, libet exhibere tumulum Armidæ Catellę, quo illam iussu eius, exornaui cuius mihi nutus pro lege.

ARMIDAE CATELLAE

Tumulus.

DEfige Hospes lumina, siste gradum. Hic vbi amenius vernat, hilarius ridet viretũ Catellarum decus MALASPINEAE Domus suauitas tegitur cum festiuissima ARMIDA: qua blandiente, blandulus Amor: qua gestiente Charites gestire. Sed Heroina inuidit IVNO SERENISS. PRINCIPIS LAVRENTII *MVNVS, delicium deliciosissimum; cui inuidebat, & formam. ac ne venustiori tellus superbiret Procy ne; gratioso adegit capiti Sellulam manu pupulari: quo minus deprehenderetur tangi, vel superos inuidia. Obtenebrata repente ocellorum Sydera, ademptum solo polo dignum oblectamẽtum. quod Taurum inter ac Geminos insitum, duodecimo æquatorem auget emblemate, CASTEVLEIS Proceribus æternum in Sydus tutelare* MEDICEA *benignitate radiantissimum affulsuro. quod fausta vouens*

Suspice, & abi.

Dederat hanc dono SERENISS. PRINCEPS Illustriss. Marchioni Thomæ MALASPINEO, eamque dum spirulam manderet, pupulæ manu fortuito extinctam Hera ingenuissima inter floreta condendam mandauit.

Hic

Hic autem vbi subinnuero apud Chaldęos vndecim, dumtaxat, ęquatoris signa numerari; Licinio meo responsum volo, nec esse nouam, atque inusitatam brutis pompam tumularem, vt Eusebius de pręparatione Euangelica lib 2. Statius lib. 2. Syl. Lypsius, & alii: nec superuacanea solertia interitus rationem denarrari, vti ex Tumulo Erculis Stroz̨e de Armina Catella, &, ex hoc, quod e Romanis Francisci Suueertii desumpsi .s.

VALENTI TIGRIDIS F.
Cani Generosissimæ
Quæ cum virtutis, fidei, & pernicitatis
suæ famam nouo, sed
ILLVSTRISSIMO D.
probare nititur; primaq; immissione Leporem anum exire impressiones doctam, ardentius, quam cautius supplantat; præcipiti casu cespitans, gulam sibi fregit, inque ipsa victoria prædæ suę superincumbens expiranti gloriose expirauit: gaudēs pręter hoc vnū; quod non sub oculis Domini, cui militabat sic cecidisset.

De Causis, & Origine Epitaphij.
Cap. XXVII.

CVM nihil ęque ad gloriosa facinora impellat, ac immortalitatis cupiditas, quam in nobis

nobis exciunt exempla maiorum, sapienter Athe nienses statuere; illustrium vti virorum corpora publico sumptu humarentur, laudibusque in Ceramico decorarentur, & statuis, in quarum basibus sculptæ essent rerum gestarum epigraphæ, vt Plin. lib. 36. cap. 5. earum siquidem memoria viris egregiis flamma in pectore crescit, neque prius sædatur, quam nepotum virtus maiorum famam, & gloriam adæquauerit. id quod in Præf. Iugurthinę hist. Sallustius. quapropter ex ipsis monumentorum epigrammatibus, merito coniicit Tullius studium in nobis nostrę immortalitatis.

Verum non hęc vna ratio fuit condendi epithaphii: sed, vt desperationem, impietatem, & alios eiuscemodi impetus, quibus ad mortem agimur testatos faceremus: vt nostræ conditionis moneremus posteritatem, ac denique, vt etiam inhoc exornationis genere ostentaremus ingenium. Ex Epigrapha quam suggessit Nicephorus palam fit impietas: desperatio ex hac, quam ex epistolis Antonii GVEuarę huc traieci.

D. M.

C. Manl. C. Manl. F. Inferno Plutoni, Tricorporiq; Carissimæ PROSERPINAE, Tricipitiq; CERBERO munus mecum ferens damnatam dedo animã, vitamque
hoc me condẽs monumento: ne obrutis domus lapsu
Filijs sex, quos P. Scipio Patrijs Camertibus a Sale, ex Lybia incolumes restituerat in desolata orbitate superstim.
Vixi Ann. LVI.
Horas scit nemo.
Vale Vita.

Ingenium pręferunt arguta, festiua, ridicula; qualia hæc, quę ex Francisco SVVEERTIO lubet excribere.

Argutum MVSCAE
Epitaphium.

Gustatrix iacet hic lautorum Musca Ciborum,
Et conuiua frequens Principis in Tabulæ.
Nõ volucris rostro, stimulis, nec Aranę aduncis,
Cretica, sed gustans pocula, pota cadit.
Nil opus est luctu: quis enim tam nobile fatum
Lugeat? Est auro condita, mersa mero.

Dis Pedibus Saxum.
CHIACCHIAE
Dorsiferę, & Clunifera.
Pessuetę, ac Mansuetæ.
Cuius vt insultura, & desultura commodetur
Pub. CRASSVS Mula suę CRASSAE.
Beneferenti, suppedaneum hoc cum risu Pos.
Vix. Ann. XI.

Ridiculum
SERGII POLENSIS Epitaphium.
Ex Theatro Vitæ Humanę.
Vol. XV.

Viatores ciues optimi, vel aduenę; siue bini,
siue singuli inceditis, siue turmatim, quod
magis erit gratum;
obfirmate greßum, nec miremini, si moramini
aliquantisper.
Dicaculus equidem fui.
succinctus sermo vobis dari non potest,
& iuuat vobiscum esse;
vt iuuit semper, &c.

Quibus scribendis supersedeo, cum paucos lusus, & hilaritates, intolerabiles obruant nugæ.

Ex quibus modo deprehendas ætatem in qua quis naturæ concessit, formam corporis, morum facilitatem, virtutumque præstantiam, solertibus ingeniis suggerere argutias; & amænitates. sit exemplo inter Suueertii Patauina Epitaphium Drencuuardi, de quo hæc omissis aliis.

——— *in quem cum parens*
Natura rerum, cunctas animi, & corporis dotes benigne contulisset, inuida mors verita, ne immortalitate eum quoque viuum bearet, gloria hæc, ait, mihi propria dicabitur.

Ediscas etiam quantum elegans, & artificiosa narratio ab incompta, ieiunaque dissideat: id quod serio animaduertendum, vel ex his quæ perfunctorie subinnui.

Verum ne dum hæc, quæ memorauimus, sed; & natalia, mortis genus, qua quis diem obierit supremum, locum in quo obierit, & alia eiuscemodi examinanda; num ex ijs educere possimus acumina.

Extat illud pulcherrimum Ausonii de morte Thrasybuli, cuius hoc initium:

Excipis aduerso, quod corpore vulnera septem
arma seperueheris.

Vnde sane, & ex eo, quod de Epaminunda historiarum testantur monumenta pulcherrima

in laudem Apostoli ANDREÆ possumus deriuare : vere etenim

Rarum tam pulchro funere posse frui.

Posset ad exemplum afferri Elogium sepulcrale Andreæ CAVALCANTII, hoc .s.

Viator, aut fuge, aut plora.
Vel saxa docui lethi genere immanissimo mulier, &
si maiorum sanguine non satis clara,
proprij tamē effusione misere
insignis.
ELEGANS, LEPIDA, VENVSTA,
In ipso etatis FLORE, FLORAE in gremio,
FLORE citius extincta.
Vultu, aut VENEREM vici, aut æquaui:
Nec poteram AMOREM odisse,
AMORIS parens
Felix penitus Pudica, aut Excelesta, & c.

In quo, & miserrimi interitus causę, & conditiones non modico artificio, & aculeo denarrantur. *Raros enim* (paucis interiectis habet) *hæc sæcula ferunt Hypolitos. ab his mutilata capite, & c. Tragicæ sortis adimpleui catastrophem. Ianus mihi manium claustra; non anni reserauit, oculis vdis fores. Nam luce, qua annus nascitur luce carui. concepi mater non peperi. vno ore; imo vnico vulnere geminam animam exhalaui.*

Ex principio epigram. 28. Martialis de scorpo. s.

Fran-

Frangat Idumaeas tristis victoria palmas.

Innumerisq; ex epitaphiis a Suueertio collectis, loca indicantur exordiolorum illustrium. Funebrium apparatuum notitia, quam tibi PORCACCHIVS, LAVRENTIVS, & cœteri ad hanc rem maxime conducet, recentiorumque præsertim lectio Poetarum.

Vt autem elucescat, quo pacto fasces, & decora sint interponenda narrationi; qua ratione illustria quędam dicta, & quasi epiphonemata cuilibet eulogii membro adtexenda; proferam a me nuper efformatum

DE FRANCISCO MONTAVTIO

Eulogium Sepulcrale.

SISTE Viator ad Fatorum molimina demirabundus. FRANCISCVS MONTAVTIVS MAGNVM BELLICAE LAVDIS EXEMPLAR extinctę in Matris aluo cum morte colluctatus, erupit ferro. quo tenerior, eo gloriosior ALCIDE; fama prius quam luce potitus. Exterrita ad tantę prodigium virtutis Libitina, neque martio cum Viro in Insubricis motibus, vel inter Belgicas clades pedestria ductante fuit ausa conserere: seu non iuuit minoribus adhuc de fascibus claro, minus clarus Triumphus. Hæsit, dum FERDINANDVS *NOMINIS, NON REGIARVM LAVDVM* SECVN-

CVNDVS *ad maiora virtutis pręmia* HEROEM *euocaret. Tum vero* ETRVSCIS COPIIS PREFECTVS *Ferream aptans ad fistulam inexercitum militem, ictus frustro disrupta, sine cruore expirauit.* NE GLORIOSO *honestaretur sanguine Parricidium inhonestissimum.*

FOEmineus sic hastus submouet Hercules inglorios post edomita monstra,

Sic Fato cedunt CAESARES, *quibus ex orientibus facta cessere. Cum* IPSO TVSCAE MILITIAE FLOREM *collapsum* FLORA *deflet. Prarepta sibi in* MONTAVTIO *inuidia Trophaea lamentatur* ETRVRIA.

Scias autem Montautium perinde, ac Cęsarem e cęso matris vtero eductum ad lucē: quapropter ingeniose IOANNES PROTEHOVSCHIVVS Polonus disertissimus, & aculeatissimus de eodem scripserat. *Et cui ad lucem aditum ferrum aperuit; in ipso ætatis meridie ferrum extinxit.* Mirum quantum huiuscemodi euentus argutiarum suppeditent, quantam suggerant lusuum segetem admirabilium.

Habes in rythmis Marcelli Giouanetti lepidum illum vt appellant sonectum de pupulo, quem genitrix mortuum fuerat enixa. festiue namq; vbi hunc exorientem a cupidine extinctum narrauit, subiungit.

De la morte di lui piange, e si duole
Perche non sa la mesta genitrice,
Che son le sue bellezze al mondo sole.
Ed hauer altro eguale a lei non lice:
Com'in Ciel non risplende altro ch'vn Sole;
E la Terra non ha doppia Fenice.

Sic Iulius Cæsar BAZARDVS æque conspicuus, atque argutissimus vtriusque Latii Vates eloquii de pulcherrima pupula matri postuma in epigrammate; in cuius vltimo distico ostendit hoc decenter euenisse. *Cum sit par Auroram decedere, dum Sol apparet.*

Perpende aculeos dictorum illustrium, animaduerte Alcidem in cunabulis. Cum morte de vita dimicasse.

Omisi consulto, quod aliqui suorum elogiorum fronti præfixerant .s. *Franciscus Montautius Nobilis Florentinus*, vel *Patritius*: quod elegantius, ne viderer familię nobilitatem minuere, si nobilitatem ipsius decantatissimam testatam facerem.

Sæpius admonui aptandum esse stylum argumento: hac de causa, libet exhibere tumulum Armidæ Catellę, quo illam iussu eius, exornaui cuius mihi nutus pro lege.

ARMIDAE CATELLAE

Tumulus.

DEfige Hospes lumina, siste gradum. Hic vbi amenius vernat, hilarius ridet viretũ Catellarum decus MALASPINEAE Domus suauitas tegitur cum festiuissima ARMIDA: qua blandiente, blandulus Amor: qua gestiente Charites gestire. Sed Heroina inuidit IVNO SERENISS. PRINCIPIS LAVRENTII *MVNVS, delicium deliciosissimum; cui inuidebat, & formam. ac ne venustiori tellus superbiret Trocy. ne; gratioso adegit capiti Sellulam manu pupulari: quo minus deprehenderetur tangi, vel superos inuidia. Obtenebrata repente ocellorum Sydera, ademptum solo polo dignum oblectamẽtum. quod Taurum inter ac Geminos insitum, duodecimo æquatorem auget emblemate, CAERVLEIS Proceribus æternum in Sydus tutelare* MEDICEA *benignitate radiantissimum affulsuro. quod fausta vouens*

Suspice, & abi.

Dederat hanc dono SERENISS. PRINCEPS Illustriss. Marchioni Thomæ MALASPINEO, eamque dum spirulam manderet, pupulæ manu fortuito extinctam Hera ingenuissima inter floreta condendam mandauit.

Hic

Hic autem vbi ſubinnuero apud Chaldęos vndecim, dumtaxat, ęquatoris ſigna numerari; Licinio meo reſponſum volo, nec eſſe nouam, atque inuſitatam brutis pompam tumularem, vt Euſebius de pręparatione Euangelica lib 2. Statius lib. 2. Syl. Lypſius, & alii: nec ſuperuacanea ſolertia interitus rationem denarrari, vti ex Tumulo Erculis Stroze de Armina Catella, & ex hoc, quod e Romanis Franciſci Suueertii deſumpſi .ſ.

VALENTI TIGRIDIS F.
Cani Generoſiſſimæ
Quæ cum virtutis, fidei, & pernicitatis
ſuæ famam nouo, ſed
ILLVSTRISSIMO D.
probare nititur; primaq; immiſſione Leporem anum exire impreſſiones doctam, ardentius, quam cautius ſupplantat; præcipiti caſu ceſpitans, gulam ſibi fregit, inque ipſa victoria prædæ ſuę ſuperincumbens expiranti glorioſe expirauit: gaudēs pręter hoc vnū; quod non ſub oculis Domini, cui militabat ſic cecidiſſet.

De Cauſis, & Origine Epitaphij.
Cap. XXVII.

CVM nihil ęque ad glorioſa facinora impellat, ac immortalitatis cupiditas, quam in

nobis

nobis exciunt exempla maiorum, ſapienter Athe nienſes ſtatuere; illuſtrium vti virorum corpora publico ſumptu humarentur, laudibuſque in Ceramico decorarentur, & ſtatuis, in quarum baſibus ſculptæ eſſent rerum geſtarum epigraphæ, vt Plin. lib. 36. cap. 5. earum ſiquidem memoria viris egregiis flamma in pectore creſcit, neque prius ſædatur, quam nepotum virtus maiorum famam, & gloriam adæquauerit. id quod in Præf. Iugurthinę hiſt. Salluſtius. quapropter ex ipſis monumentorum epigrammatibus, merito coniicit Tullius ſtudium in nobis noſtrę immortalitatis.

Verum non hęc vna ratio fuit condendi epithaphii: ſed, vt deſperationem, impietatem, & alios eiuſcemodi impetus, quibus ad mortem agimur teſtatos faceremus: vt noſtræ conditionis moneremus poſteritatem, ac denique, vt etiam inhoc exornationis genere oſtentaremus iningenium. Ex Epigrapha quam ſuggeſſit Nicephorus palam fit impietas: deſperatio ex hac, quam ex epiſtolis Antonii GVEuarę huc traieci.

C. Manl.

Dis Pedibus Saxum.
CHIVCCHIAE
Dorsiferę, & Clunifera.
Pessuetę, ac Mansuetæ.
Cuius vt insultura, & desultura commodetur
Pub. CRASSVS Mula suę CRASSAE.
Beneferenti, suppedaneum hoc cum risu Pos.
Vix. Ann. XI.

Ridiculum
SERGII POLENSIS Epitaphium.
Ex Theatro Vitæ Humanę.
Vol. XV.

Viatores ciues optimi, vel aduenę, siue bini,
siue singuli inceditis, siue turmatim, quod
magis erit gratum;
obfirmate greßum, nec miremini, si moramini
aliquantisper.
Dicaculus equidem fui.
succinctus sermo vobis dari non poteſt,
& iuuat vobiscum esse;
vt iuuit semper, &c.

Quibus scribendis supersedeo, cum paucos lusus, & hilaritates, intolerabiles obruant nugæ.

Semiramidis Epitaphium.

SEMIRAMIS HIC IACEO.
Quis quis Regum pecunijs eguerit, demoliens monumentum.
Quot quot volet
sumito.

Medeus apud Theocritum hoc statuit Nutrici suæ

CLITAE Epitaphium

Paruulus istud struxit Threisse,
Medeus Monumentum CLITAE.
Habebit gratiam mulier pro eo, quod puerum nutriuit:
Nempe adhuc vtilis vocatur.

Extat illud Rufi vetustissimum.
Hic situs est RVFVS, pulso qui VINDICE quondam
Imperium asseruit non sibi, sed Patriæ.

Et illud quod L. Hermus apud Guiomerum posuit sub statua Liuii Salinatoris Vicoliuii.

LIVIVS ecce fui Romanus, conditor Vrbis huius;
Et hanc volui terram excoluisse Quirites
Magnanimos, populisq; dedi nomen, & arma,

Cum autem apud Guiomerum non sit inscriptioni suppositum nomen L. Hermij statam licet per modestiam suspicari, absque sui nominis mentione. Atque hinc occasione desumpta ex Velleio lib. I. animaduertam, nullum a Metello Macedonico ad porticus, & ædes, quas magnificentissimo extruxerat sumptu, positum fuisse tantæ ab se gestæ rei monumentum.

Idem etiam apud Tacitum annalium lib. 3. vbi in Tropheo a Germanico excitato, nullam eiusdem mentionem factam admonuit: quod fuisset conscientiã facti satis ratus. Sic paulo post cap. V. subsequenti in M. A. Mureti epithaphio de Raphaele Vrbinate, animaduerti; in quo vbi mira de illo prędicauit, quę viderentur supra fidem; se RAPHAELEM esse per idolopopeiam excitatę vmbrę respondet, ad fidem obfirmandam; additque.

Et tamen his dictis quid opus fuit addere nomen?
Alterutrum poterat cuilibet esse satis.

Siquidem virtus ipsius vicem nominis pręstabat.

Considerent modo, qui Hispanica legunt apud SVVEERTIVM Epithaphia; quantum in epithaphio Didaci HVRTADI laudent hoc titulorum agmen, quo nominis sui dignitatem stipauit INACHVS, a quo Fratri collocata fuit inscriptio sepulcralis.

INACHVS LOPEZ DE MENDOZA, TENDILLÆ COMES, GERMANVS, NATV MAIOR, GENERALIS GRANATENSIS CAPITANEVS, AC ILIBERATORVM ARCIS PRIMVS PRAEFECTVS.

Et alia id genus, in quibus frequenter peccant recentiores.

Quis enim ne dum Boetus, verum & Beotus non videt, plus fere lapidis structoris, quam defuncti decoribus occupari, & accersitam illam occasionem esse plerumque fictæ pietatis vmbram, veræ ambitionis exemplar.
Intelligāt hinc, qui eo superbię efferũtur, vt minimę cuiq; pagellæ, quā typis præmant, longum titulorum ordinem præfigunt; quasi magnum operi nomen, ex magna titulorum serie conciliaturi: quantum laudis acquirant. cum interim cordati trepident, nudum ipsum cognomentum cum nomine in eruditorum conspectum dare.

Nunc ad rem propositam rediens; adeo in epigraphis studisse video priscos breuitati; vt complures extent, absque vllo verbo exprimente dicationem. Satis sit vnã recensuisse ex Panuino de Ciuitate, & Imperio Romano.

D. M.
P. AElio Muciano Spec. leg. II.
Adiut.
Vitalianus, & Vitalis Auunculus.

At vero non diu valuit in epitaphiis laudatissima breuitas: sensim enim Gręcia, mox Latium excurrere in Iliades; Seu rerum adaugendarum libidine; SEV ambitu minima quæque recensendi, ad ludum posteritatis.

Quapropter non ab re fore existimo, quę breuitati tumularis epigraphæ aduersantur, sigillatim innuere.

Primum igitur in breuitatem peccant, qui non solum longe petitum, contra legem Platonis; sed prorsus ineptum, & nihil ad rem faciens exordium præponunt epitaphio. quale pręsefert epitaphium PACVVII, quod nos alibi: quale hoc ALVAROTTI, quod a F. SVVEERTIO refertur in Patauinis.

Epitaphium.

AMICE Qui istac transis,
& si properas,
Lapis hic te rogat, vt paulisper inhareas,
& hæc scripta legas.
In hac BASILICA S.IO.BAPTISTAE sunt
IOANNIS ALVAROTTI
insita OSSA, &c.

Quorsum enim tot nugę? Quam importuna sententia illa in epitaphiis Petri LEONIS Caselle? Videlicet

Ianua glorię virtus est. Per hanc ingreßus, &c. Equidem sicut non existimårem obelo dignum, aliquod dictum, vel sententiolam concinnam, aculeatam, quæ quasi viam ad narrationem pararet, & animos ad legendum, vel vtilitate alliceret, vel venustate: ita cuiuis communem, accersitamue, aut prorsus ociosam nequaquam admittere. Accersitam, importunamq; existimabis hanc in OSVALDI epitaphio, quod SVVEERTIVS inter Basileientia.

Epitaphium.

HEV Viator, tristis spiritus, & mentem, consumit, & ossa.
OSVALDVS ego BERVS fui.
Non COVS ille Senex:
Sed VRBIS Huius HIPPOCRATES.
Vixi Latus; Latus obiui;
Et Domino vigilans, Domino tandem obdormiui.
Quid vltra?
Mortalitatis exuuio hic deposito
ANNO, &c.
Cum CHRISTO Resurgam.

Communis exemplum exordii iam retuli. hic igitur adnoto, quod exordium commune proprium fiet, insigni aliqua ratione, ad epitaphii argumentum accomodata. tale hoc in

Epitaphio

HIERONYMI SARACAENI.
Quod apud SVVEERTIVM inter Senensia.

Quisquis es, si Pius es; ne parcito lacrymis.
HIERONYMVS SERACAENVS
Hoc paruo contegor Tumulo,

Qui

Qui dum ab Hostibus
obsessam PATRIAM liberarem;
PECTVS CLYPEVM Pro CIVIBVS offerens;
VICTORIAM,
ET IMMORTALEM MORTEM
Reportaui.
Quæ
SVPERIS, NATVRAE, PATRIAE,
AMICIS, PARENTIBVS
DEBVI, PERSOLVI.
Si pie PATRIAM amas; quæso ne inuideas.
In acerbissimam pietatem Mæstissimi
PARENTES PP.
IV. Olympiade non dum peracta.

Conceditur ergo scriptori Epitaphiorum; vt concinno, & e re ducto perutatur exordio. non tamen hoc ita necessariũ cuilibet existimet; vt si careat hoc; manca sit, atque imperfecta tumularis epigrapha. Sit nobis paradigmati hęc insignis auctoris de

REGINA ISABELLA ARAGONIA

Hic ISABELLA iacet centum sata sanguine Regum;
Qua cum maiestas Itala prisca iacet:
Et quæ lustrabat radijs Regalibus Orbem,
Occidit; inque alio nunc habet Orbe diem.

Nunc

Nunc ab exordii ad narrationis vitia descendens, nemo mehercule amplificationem illam non arguet in epitaphio HIERONYMI SARACÆNI. *Quæ naturæ, quæ superis, quæ Patriæ*, &c. cur enim renarrantur per exagerationem, quæ ex magnitudine denarratæ, iam rei possunt innotescere? Pressum characterem adamāt epitaphia, qui. s. plura legentibus suggerat, quam inscriptionis facies præseferat. Facessant igitur ab his antitheses illæ, quas exhibet Suuertius in epitaphio Isabellę MONTIÆ inter Neapolitana. *Qui veneratis poculis (vicit in familia, prob scelus, pietatem cupiditas, rationem amētia, timorem audacia) vna in miserorum parentū complexibus expirarunt*. Sumptę ex Cic. pro A. Cluentio. Facessant itidem longæ, atque intempestiuę exclamationes, commiserationes, quæ panegyricis, funebribusque laudationibus inserendæ, non epitaphiis. quid refert, monumento incidere, tribus ne liberis superstitibus; an sine prole decesseris? hæc oppido Reginarum in tumulis adnotanda.

Itaque cum Vincentio GALLO sępius laudato suadeo. *INSIGNIA, AC PRAESTANTIORA, ET PROPRIA EORVM, QVI LAVDANTVR IN EPITAPHIIS ADHIBERE*. Atque illud, quod Remigius FLORENTINVS in epistola ad Pauesium fatetur, animaduertere. *NON ESSE*, videlicet, *CVIVSCVMQVE HOMVN-*

MVNCIONIS; QVI DACTILVM CVM SPON DEO NORIT CONNECTERE pangere epigraphas tumulares, *qui enim breuitatem, elegantiam, aculeos, & decorum scit præstare in epitaphio: ne is doctos inter scriptores, tanti viri iudicio, recensendus.*

Enimuero pudet integrum referre Laurentii CAGNATI nugacissimum epitaphium. Hæc excerpsisse satis ad risum, vel ipsi Heraclito commouendum.

Vixi Quiris Christigena: sum datus letho,
Lethargo, & illætabilis domus fato.

Et post multa.

O Dolor vbi es? vbi lachrimæ? Parens orbus
Prospe domus, ludibrium abstulit mortis.

Placet animaduerendum suadere; vt decorum spectetur in stylo, de qua re alibi plura. Inspice Capite XXX. in epitaphio Vlyssis VENTVRII obductum inuolucris aculeum illum. *Cupiens eius scrutari originem*, &c. Ex verbis etiam quibus epitaphium claudit .s. *Idque feci Anno*, &c. turpe esse cognoscas, quandoque Pennatum DEDALVM; interdum vero ATTAM agere. TVRpissimũ per superbas Idolopopeias ingerere de mortuis vitia: dum celebramus virtutes.

Quid

Neq; his etiam contentus adiecit hoc Epigramma.

Altera Appendix.

LONGOLIVM insano Ciceronis amore flagrantē
Mercurius nobis abstulit ante diem.
Scilicet, ille sibi ne linguæ auferret honores.
Heu! Diuos etiam liuor acerbe petis?

Sed esto, excusentur carmina. quorsum longa syrmata sententiarum, quibus passim SVVEERTIVS? Videas eo nugarum processisse mortalium garrulitatem; vt quædam, liceat ita compellare, PSEVdosocratica epitaphiis adnexuerit oracula, quale hoc sub epitaphio LVCRETIÆ PARMENSIS.

Si nullæ adfuissent deliciæ, nullæ adessent miseriæ. quia deliciæ miserijs, miseriæ delicijs commutantur.

Quin, vt molestiam leuarent prolixitatis, commenti sunt recentiores, quandam inscriptionum formam ex carmine, & soluta oratione, quam versibus includunt hoc pacto.

MONTANIMAE Epitaphium.

Nemo me lacrymis ploret; nam mortua non sum;
Viuo: sed in superis læta beata locis.
Marmore tu cinerē claudis Hieronyme Coniux;
Ipsa sed ante Deum supplico, vt astra petas.

MON-

Hęc partim nimis communia, partim remota contra Platonis præſcriptum. quid enim peregrinum præmonſtrat primum illlud carmen. *Cur turbata fremit*, &c.

Vtroque hoc vitio laborat exordium Epitaphii D. CANDIDÆ apud EMINENTISS. CARD. BARONIVM Vol. 9. ſcilicet

Mors, quæ perpetuo cunctos abſorbet hiatu
Parcere dum neſcit, ſępius ipſa fauet.
Felix qui affectus poterit dimittere tutos;
Nam mortalem moriens, non timet illa viã.
Candida præſenti tegitur Matrona ſepulcro, &c.

Vbi vero complura excripſimus obelo digna afferamus demum nonnulla, tum antiqua, tum recentia, omnibus abſoluta numeris. Suppeditat VOPISCVS in PROBO eiuſdem Imparatoris Epitaphium breuiſſimum, laudibuſque cumulatiſſimum.

PROBI IMPERATORIS

Epitaphium.

Hic PROBVS IMPER. & vere Probus ſitus,
Victor Omnium Gentium Barbararum,
& Tyrannorum Victor.

Cui

Cui oppositum nugax ; & exile reperies apud SVVEERTIVM inter Romana de altero quodam Probo XXX. elegiacis versibus haud absolutum; quod, si inspicimus ea quę complectitur, paucissimis poterat absolui.

Pulcherrimum panxit MVRETVS de Raphaele VRBINATE; si tamen epitaphii, minus quam cęnotaphii titulum promeretur.

RAPHAELIS VRBINATIS Epitaphium.

Sic mea naturam manus est imitata; videri
Possit, vt ipsa meas esse imitata manus.
Sępe meis tabulis ipsa est delusa; suumque
Credidit esse: mea quod fuit artis opus.
Miraris, dubitasque? audito nomine credes.
Sum RAPHAEL, Hei mi, quid loquor? immo fui.
Et tamen his dictis, quid opus fuit addere nomen.
Alterutrum poterat cuilibet esse satis.
Nam mea, & audito est notissima nomine Virtus:
Et praestare vicem nominis ipsa potest.

Neque cedit huic lepidissimum, & floridissimum illud LVDOVICI AREOSTI, quod cum inter Suueertii inscriptiones non habeas, collibet hic ad gloriam ingeniosissimi Vatis promulgare.

AMORIS CHARITVM ET LIBITINAE PRAELIVM.

IN LAVDEM MAMMÆ.

Feßa graui morbo cum iam mea MAMMA iaceret;
Certauere diu Mors, Amor, & Charites.
Impia formosum ventrem Libitina tenebat;
Os Charites; Oculos ipse fouebat Amor.
Fax erat in pulchris oculis; argutus in ore
Sermo; dabant Charites verba, Cupido facem.
Dum tamen ægrotam Mors sæua ferocius vrget:
Nec minus hinc Charites, hincque repugnat Amor:
Illa simul Charites, & MAMMAM, & perdit Amorem:
Scilicet, & victrix bina trophæa refert.
Ah nimis insignes tituli, celeberq; triumphus.
Præda necis Charites, MAMMA, Cupido iacent.

De hoc sepulcrali eulogio satius nihil, quam pauca ad illius celebrandum artificium scribere infra dignitatem.

At vero, quoniã de breuitate sermo erat. inspiciamus quo pacto ingentia decora paucis contrahantur in hoc

Epitaphio.

CAESAR, ALEXANDER, Tumulo TRAIANVS in isto
Clauduntur; nec tres clausos tenet vrna; sed vnum
Scilicet ESTENSEM *sublatum in Sydera* BORSVM;
Cuius erant mores tantorum in pectore Regum.

Atque huic adtexamus splendidum, & conspicuum illud.

Cenotaphium
CAROLI V.

Liquisti exuuias gelido sub marmore; sed non
Quantus eras CAESAR marmor, & vrna capit.
Pro tumulo ponas orbem, pro tegmine Cœlum
Pro facibus Stellas, pro IMPERIO EMPIREVM.

Hac autem præsertim de causa, breuitas epitaphii commendatur, quod multa lectoribus coniicienda, colligendaque ex ipso nomine, vel cognomento relinquat. quando multis explanata languescunt, quæ vegeta prius videbantur perstricta: quando TANTAM VIDENTVR epigraphæ vim significationis habere; quan-

quantam ex meritis decumbentium trahunt: eadem ratione, qua prima vernaculę nostrę supputationis figura ex subsequentibus vim habet apicibus. Quocirca apud L. AREOSTVM nomen tantum profari satis rata est, generosa illa bellatrix: cum præconiorum cætera facillime ipso ex nomine intelligerentur.

Io son, disse, Marfisa, e basti questo:
Che ben si sà per tutt'il mondo il resto.

Hinc Torquatus TASSVS acerrimi Iudicii vir Dudoni De CONSA breuissimam hanc, suisq; dumtaxat laudibus splendidam posuit epigraphem Cant. 3. Ogdoade 73.

—— Qui giace DVDONE
Honorate l'altissimo Campione.

Tantumque in se habebit significationis modestissimum, quo sibi voluit insculptum, vt mox referemus T. TASSVS .f.

HIC IACENT OSSA TORQVATI TASSI;

Atque hoc luculentissimum quo Eq. IOANNES BAPTISTA MARINVS tantum Vatem in lugubribus Lyricis decorauit. nempe.

Qui giace il TASSO, o peregrin. quel TASSO,
Che l Pio Duce cantò: dal Tago al Gange
Ogni lingua, ogni stil l'honora, e piange
Ferma al nome diuin, lo sguardo, e l passo.

Ben ha piu duro il cor di questo sasso
Chi di sua morte non s'affligge, & ange
Di questo sasso, che si spetra, e frange
Per dargli albergo humil, quantunque e basso.
Ma che? vin'egli in terra, e viue in questi
Marmi, e viue in Ciel tra pure forme
traslato a Muse Angeliche, e Celesti.
Tu, che a le sculte note hor volgi l'orme;
Leggile pur, ma pian, si che nol desti,
Ch'egli estinto non è, ma posa, e dorme.

Ne quęso graueris introspicere, quantum lepiditatis,acuminis,ac maiestatis pręferat:ac pro SVVEERTIO MARINVM o scriptor epitaphiorum euoluas,ad reperiendos aculeos: in eo siquidem vno cœterorum ingeniorum perstrictæ diuitiæ.

Et ad rem. quantum defluant breuioris dicterii sales, & argutiæ, si prolixum in sermonem diducantur; intelliges ex iis, quę subtexam epitaphiis capite subsequenti.

Quod si quis mihi toties breuitatem suadenti obijciat ALDVM MANVTIVM Herculi STROZÆ confecisse epitaphium carminum XXXIII. Triginta itidem versibus constare epitaphium PROBI, de quo paulo ante meminimus. & quod magis vrget inter Idylia MOSCHI vetustissima adinueniri epitaphium Bionis hoc titulo præsignatum,in centum triginta ver-

sus

ſus excurrens & D. GREG. NAZIANZENVM inſcripſiſſe BASILIO MAGNO prolixum epitaphium LX. videlicet carminum folii grandioris.

Reſpondeo parum referre, quo titulo prçſignentur ſyntagmata; modo ſtylus, & argumentum prçſeferat, quod titulo non determinatur. & inſcribi a Moſco epitaphium Bionis Idylium tertium eodem pacto, quo neglecta vocabuli proprietate ab ISOCRATE encomium HELENÆ inſcribitur PANEGYRICVS. Nec D. GREGORIVM ſolicitum fuiſſe de titulo epitaphii, vel cçnotaphii. Quapropter exornationem quam antea compellauit epitaphium; poſtmodum nuncupauit carmen funerale. Idem de epitaphio quod D. HIERONYMVS de MARCELLA Vidua ſcripſit ad PRINCIPIAM Virginem.

Cœterum cum apud Laertium, & Auſonium legamus Diogenis Cynici tumulo Canem inſculptum ad mores præmonſtrandos, & in Archimedis ſepulcro ad prçſignandas virtutes Cylindrum Marcelli iuſſu cçlatum, cum Sphæra; vt Rhod. lib. 17. cap. 20. cur tantum nobis licentiæ vindicamus, vt tumulis inſcribamus Iliades vel pupulis epigraphas ponamus?

Meminerimus, & lege ab Athenienſibus cautum: non ſolum vt lapis iuſtę ſcriptioni titulorum præſcriberetur, ſed etiam, vt incideretur ei-

dem, quantum in amplitudinem ſepulcrum pateret. & ſuperuacaneam eſſe pompam, & impendium ſepulcri. quandoquidem, vt Frontinus ait. Durabit noſtri memoria, ſi in vita promeruerimus.

Celebriora igitur deſcribenda ſeligerem quamuis in rebus geſtis demortui complura ſint digna laude non ſingulari.

Hinc de TITO LIVIO Patauino, & de ANNA de SPINA hæc extant vnius tantum virtutis epigrammata .i.

TITI LIVII
Epitaphium.

Oſſa T. LIVII PATAVINI
vnius omnium mortalium iudicio digni;
cuius prope inuicto calamo,
Inuicti POP. ROMANI res geſtæ
conſcriberentur.

ANNAE SPINEAE
Epitaphium.

D. O. M.
ANNAE DE SPINA Humani, Diuiniq;
Iuris ſupra Fœminam, vireſq; etatis
Conſultiſſimę;
quæ tertia huius memoriæ CORINNA.
Vix. Ann. XV.

Ne-

Ne tamen tantę me quis feueritatis exiſtimet; qui velim illuſtrium, vt maiorum decora Cynico more in faciem ſepeliantur; quam vis ſuadeam, vt pręclariora libentur, ac magis inſignia. In hoc autem vtique obfirmarer, vt iis, dumtaxat daretur honor epigraphę, qui hunc belli, vel pacis artibus, vel aliquo virtutis nomine promemeruiſſent, quod Lacedemones apud Alexandrum in genialibus lib. 6. cap. 14.

Subit nunc animus excribendi e Petri LEONIS Epitaphiis.

Tumularem Epigraphem.
DE ASCANIO COLVMNA

ASCANIVS COLVMNA veri laboris
diſciplina egregius Puer,
Virtutis, & honoris fundamenta iecit.
Ex Hiſpaniis accitur,
abſens in CARDINALIVM Collegium cooptatus,
iure merito.
Qui Romæ nobilitatis auctor:
Splendore ſuo Prætextatos excitauit,
HERCVLEM, & MVSAS
æmulaturos,
ſi adſequi liceat.

Facile intelliges dictiones illas, *Veri laboris*, ſuperfluere; nam huius laboris diſciplina iecit fun-

damenta virtutis, quapropter non additur epithetum; vt verus labor distinguatur a falso, quo voluptatem mercamur; neque proprietatis, ergo, aut ornatus, quę in causa sunt ipsius adiiciendi, vt docet Quintil. lib. ... cap.

Taxarem etiam verba illa, *qui Romae nobilitatis auctor*, eius ne, scilicet, quę a virtute nascitur: perinde, quasi solus hic virtute Romanus, cœteri Romanę? Et in superiori epitaphio redundare fortasse existimabis dictiones illas. *Quae nostrae memoriae Corinna*. ADEO DIFFICILE EST ABSTINERE NVGIS, ET NVLLI OBNOXIAM REPREHENSIONI EPIGRAPHEM EXARARE. vt scite animaduertit GARZONIVS. Meas inspice de Augustino MASCARDO, & Archiep. SCIPIONE PANNOCCHIESCHIO, si tibi fortasse lector arriserint in Miscellaneis exornationibus: & disce amœnitati, breuitatique studere.

Satius enim est, si minus aculei suppetant; nomen, & cognomen Defuncti literis consignare; cœteraque e meritis eius desumenda relinquere; quam inepta, vel exili narratione lapidem opplere. Refertur a Suueertio in Ticinensibus hoc IASONIS Maini, quod tibi hanc ad rem confirmandam sub oculis constituemus.

Epi-

Epitaphium.

IASON MAINVS IVRE CONS.
EQVES, ET COMES
hic requiescit:
Materia, vincor, & tu vis ire viator,
Expediam. iacet hic ille MAINVS. abi.

Et epitaphium IVLII, quod inter Romana.

IVLII
Epitaphium.

Patria ROMA fuit; Gens PORTIA, Nomen IVLVS.
MARS Puerum instituit, MORS Hominem rapuit.

Epitaphium Iusti LIPSII, quod cap. IX. protulimus; exhibet ansam scribendi de repastinatione; de qua fuse disserere constitueram, & de artificio epitaphiorum: ni mihi dolose surreptus interim fuisset Suueertius, e quo complures mihi animaduersiones comparaueram: quando igitur res ita se habet, paucioribus caput hoc ab soluemus.

De Repastinatione.
Cap. XXIX.

HAud sane diffiteor in compigendis epigraphis tumularibus, sępe nouos ictus ingenii palam fieri. At vero sæpissime vetera innouantur; nouis ornamentis teguntur; quo minus esse agnoscantur auctorum, a quibus primum inuenta, & prodita sub lucis auras fuere. Id quod cum laude fiet: si motus, & impulsus inde tantummodo accipiatur: si plura de nostro ad augendum, illustrandum expromantur; ita vt ad aliam inuentionem, iam ab aliis inuenta traducantur. quædam perfunctorie subinnuam exempla.

Relatum commemini a Francisco SVVEERTIO inter Florentina hoc

De ANTONIO SQVARCIALVPO Musico.
Epitaphium.

A. SQVARCIALVPIVS ita arti gratiam adiunxit, vt quartam sibi viderentur Charites Musicam adsciuisse sororem, &c.

Extat effatū Mnemosynæ apud Antipatrum SIDONIVM de MVSA DECIMA. Ex quo fortasse occasionem nactus est Excellentissimus Claudius ACHILLINVS compellandi Hieronymum

nymum

nymum PRÆTVM *Musam decimam*, *Charitum quartam*, *Ingeniorum primum*: facile enim est ingenio ludere, & expatiari, vbi patuit per quam se se penetrare valeat rimula ad exornationem.

Ex Tumulo CAROLI V. quem tibi cap.pręced. apposuimus sumpsit recentior ille, & ex epitataphio NM. apud SVVEERTIVM pag. 82. hoc pene integrum

DE HENRICO IV. GALLORVM REGE Epitaphium.

A stancar nato, & honorar l'Historie
HENRICO *giace, e con lugubre tromba*
Ogni virtute il piange; il Mondo è Tomba,
Sono i titoli suoi le sue Vittorie.

Hæc sane, & clausula TASSIANI Tumuli.s.
Ch'egli estinto non è; ma posa, e dorme.
E vetusto epitaphio deriuata, laudē promerentur; cum præsertim possit contingere; vt auctor argutiæ ab aliis eandē inuentā offendat. verum quid de illis, qui repastinationem absq; vllo ingenio, & solertia; immò absq; vlla verecundia exercent, exilia, & peiora reddentes, quæ ab aliis fuerint mutuati? Inspiciamus quantum a se dissideat acumen, quod in Iusti Lipsij epitaphio iamdudum fuimus demirati, in hoc

DE

DE SCIPIONE BARGELINO IVRISC. BONON.
Epitaphium.

Mors dicam tibi veriora veris
Nunc quamquam tumulo cadauer hocce
Claudis: id nihil, id nihil putamus.
Virtus, fama, scientia huius, & spes
Non possunt tumulo profano claudi.
Quid Mors ergo tenes. quid assecuta es?

De ratione variationis sententię, per immutationem materiæ, vel formę, aut partis alterutrius consulantur Rhetores, & pręcipue dilucidissimus omnium Vincentius GALLVS in Rhet. lib. ... cap.

De Varijs Epitaphiorum Vitijs, & pręsertim de superbia.
Cap. XXX.

CYRI Obeliscum, AVGVSTI Columnam, Molem ADRIANI, & alia superbiæ mortalium prodigia, parcam in eum, quem instituo de sepulcrorum epigraphis sermonem adducere: vt pote minus ad rem facientia.
Ambitiosas vero aliquot referam Idolopopeias, nonnullasque tumulares epigraphes, quas superstites sibi demum interituris panxere immanis ambi-

ambitionis viri, ac postremum illas, quas, vel nimius amor, vel aliqua causa, procliuius valeat excusare.

Exemplum
SVPERBAE IDOLOPOPEIAE.

S. D. C.

NON SVM VLYSSES VENTVRIVS;
Sed fui, & ero.
Nec SENAE amplius, nec ROMAE:
Sed COELVM mihi Patria est.
EQVES fui D. PAVLI,
In EQVITEM CHRISTI *commutatus.*
Quos non conspecturus in Terris
dereliqui męstissimos;
Expectabo conspecturus in COELIS Lętissimos.
IVRE CAESAREO
supra ætatem ornatissimus;
Cupiensque eius scrutari originem;
ad naturam accessi;
Primamque eius impleui Legem.
ORTA MORIANTVR.
Idq; feci Anno, &c.

Mitto ampullata verba de sua in iure peritia, prorsus intolerabilia. Sed quid de arbitraria illa apotheosi, qua se retulit inter Cęlicolas? turpe oppido est, vt commendationis speciem, nostrę

nostræ ambitionis notas inferamus ijs, qui de se, neque per somnium quidem talia vnquam iactassent.

Sic proculdubio Gymnicorum pręcones, ludorum nobis fuerint verecundiores. qui vt ad Luceium Cicero. *Cum donandi erant corona; alium pręconem adhibebant; ne sua se voce victores pradicarent*. Quod vero ad temerariam apotheosis vsurpationem. quid Christiano viro indignius, qui diuinis docetur oraculis. *Iustitias omnes suas instar esse panni menstruatæ*. Isai. cap. 64. Equidem, quando huc deueni, vel perfunctorie monebo. Nobis qui *reformatorem corporis* (vt Apostoli verbis loquar) *expectamus, sepulcra, non munimenta glorię esse debere: Sed monumenta nostræ conditionis*. At age detur, aliqua venia mortalitati. enarrentur ad posterorum exemplum virtutes maiorum: ne tamen eos intra certos immortalitatis limites intrudamus inuitos, ausu omnino temerario.

Extat inter Cremonensia insulsum, & huic, quod excripsi persimile epitaphium, quod vtiq; tenebris dignum erubesco rursus in lucem efferre. effero tamen, vt innotescat quanto cum iudicio Suueertius, hoc, & alia eiusdem notæ cōplura, inter proba, & spectabilia perpauca collegerit, vt magnum conflaret volumen.

Hic pietas in Patriã, & Pauperes prompta, monumento est vobis posteris, vbi iaceo Antonius

AF-

AFFAITATVS nulli vnquam noxius, DEO proximus. Vale.

Fateor equidem testatissimas orbi virtutes posse, vel a viuentibus de se prædicari: cumneque Echo acceptæ repercussio vocis prohibeatur. quapropter æquis legendus oculis inter Pisauriensia: F. SVVEERTII hic

PANDULPHI MALATESTAE Tumulus.

Olim Ductor eram Latio celeberrimus omni;
Ductor eram ingenio promptus, & ipse manu, &c.

Ita, & quæ de se merito proloquitur Michael TARCAGNIOTA, videlicet,

Longe hospes, longe tamen erras, si mea credis
Nomina in exiguo tota reposta solo:
Quæque tot ob patriam pugnando vulnera passus
In cineres mecum versa abijsse leues.

Cum reliquis, atque hac de causa nescio, cur minus licuerit Pacuuio, Poetæ sibi titulum vindicare; quam militi, vel copiarum Duci ordinem suum, dignitatemque iusta compellatione profiteri. Neutiquam igitur superbiæ; verum nugacitatis, & exilitatis damnaretur a me, tuis quoque calculis lector hæc vatis huius

In-

Adolescens tametsi properas; hoc te saxum rogat,
Vt se aspicias; deinde, quod scriptum est legas.
Hic sunt Poetæ Pacuuij MARCI sita
Ossa, hoc volebam nescius ne esses. Vale.

Excusarem itidem ea, quæ ętas ipsa, quę conditio ambitiosula in adolescentium, vel puellarum idolopopeis videntur excusare: nemo enim propemodum erit, qui nesciat; hæc plerumque effingi ad ostentandum ingenium. quocirca minime commouerer, si apud Suueertium in Tergestanis ita de se Puer loqueretur.

PVERI Epitaphium.

Me longe effigie venustiorem
Narcissi, vel Apollinis comati
Parcarum Lachesis soror seuera
Isti quinterinem dedit sepulcro.
Cur non flosculus exeam requiris;
Cum tamen fuerim puer decorus?
Hæc tellus nimis arida est viator,
Nostri facta perustione amoris:
Nam terram quoque læsimus decôre.
Quod si lacrymulis tuis madescet:
Forsan Flos nouus ibit e sepulcro,

Fauetque mihi, non dicam Cantalicii auctoritas, qui de Adolescente discipulo suo scripsit.

—— iacet hoc Puer ille sepulcro
Tempora cui similem non habuere senem.
Nomine CYNTHIOLVM merito schola tota vocauit,
Quod Puer ingenio, CYNTHIVS alter erat.

Verum auctoritas Virgilii cuius hoc est de

DAPHNIDE
Epitaphium.

DAPHNIS ego in Syluis fama super æthera notus:
Formosi pecoris custos, formosior ipse.

Lenem quoque censuram exercerem in ea, quæ Matres Filiis, Coniugibus Sponsæ constituunt epitaphia; quam ob rem, neque Statii Matrem acrius reprehéderem, si diceret ademptum sibi filium a Venere,

Prçconem Ænea carmine quod premeret: neque cum Catharina MOLZA durius agerem si hac superba epigraphe coniugem suum decoraret.

FRANCISCI MOLZAE
Epitaphium.

Si animarum auctio fieret, Franciscum MOLZAM
licitarentur virtutes,
PATRIA, & CATHARINA Vxor,
quæ illi, & sibi hoc Pos.

Sed superbis de Idolopopeiis hactenus. Deueniamus modo ad fastum, qui in quibusdam, tum veteribus, tum recentioribus visitur intolerabilem.

Refertur ab Alcumio SCREEMPIO tumulatis epigraphe; Neuii Poetæ superbissima,

NEVII POETAE
Sepulcralis Inscriptio.

Immortales mortales si foret fas flere:
Flerent Diuæ Camenæ NEVIVM Poetam
Itaque postque est Orchio traditus Thesauro;
Obliti sunt Romæ lingua Latina loquier.

Hæc tamen mihi potius cenotaphii, quam epitaphii titulo præsignaretur: cum enim complectatur Vatis preconia; nec vllam habeat notationem loci, vbi sepultus sit: sed hoc coniectandum relinquat; potius ad tumulum honorarium cohonestandum, quam vt sepulcro incide-

cideretur, videri poteſt effiĉta, quemadmodum illa, quam de ALCIMO Martial. lib. 1.

Huic in ſtylo,& ſuperba ſententia perſimile eſt quod Varronis teſtimonio, ipſe ſibi Plautus panxit epitaphium.

PLAVTI
Epitaphium.

Poſtquam eſt mortem aptus PLAVTVS;
Comedia luget, Scena eſt deſerta
Deinde riſus, ludus, iocuſque, & numeri
Innumeri ſimul collacrymarunt.

In quo interim perfunĉtorie adnotatum velim primo hinc deſumptas eſſe formulas illas recentiorum .ſ. *quem circum ludunt luſus, iocantur Amores.* in quibus vnis toti ſunt aliqui elogiaſtę. Deinde morem fuiſſe veteribus,& recentioribus virtutes Heroũ per antonomaſticas ſuperlationes efferre. hoc paĉto, vt videlicet ſcribant, *deſertam eſſe ſcenam: conſepultam Philoſophiam, &c.* ſic Suueertius de Marſilio Ficino in Florentinis.

MARSILII FICINI
Epitaphium.

Mores, Ingenium, Muſæ, Sophiæque ſepulta eſt
Laus hic, cum MAGNI Corpore MARSILII.

Id vero cum laude nec ne; edifferant alii. Il-lud certe perferre non possum, vt veteres, graueſque auctores vilipendantur, quo illorum honoribus noui condecorentur. Promam hic ad exemplum putidiſſimæ ambitionis; immo vero temeritatis

T. IOVII
Epitaphium.

Hic iacet IOVIVS Romana gloria linguę
Par cui non Criſpus, non Patauinus erat.

Melius fortaſſe de illo Paſchaſius in hoc

Antipitaphio.

Venalis cui penna fuit, cui gloria flocci:
vix quid, vt ille fide ſcripſerit hiſtorica.

Demiremur hic moderationem T. TASSI: qui rogatus epitaphium illud ſibi incidendum iuſſit: quod exhibuimus pag. 131. cuius uis ex eo plane intelligitur, quod EMINENTISSIMI CARD. BEVILACQVÆ pietas eidem honorificentiſſimo in tumulo ſacrandum curauit, cuius hic reddam exemplum haud plane indignum imitatione.

TORQVATI TASSI POETAE
(Heu quantum in hoc vno nomine
celebritatis, ac laudis)
Ossa huc transtulit,
Benefic. CARD. BEVILACQVAE
Ne qui volitat viuus per ora virum,
eius reliquia parum splendido loco
quaererentur, colerentur.
Admonuit virtutis amor, admonuit
aduersus Patrię alumnum
aduersus Parentum amicum
Pietas.
Vixit ann. LI.
Nat. Magno Florentiss. sęc. bono Ann. &c.
Viuet haud fallimur ęternum in hominum memoria,
admiratione, & cultu.

Epitaphium vero T. TASSI a IOANNE BAPTISTA MARINO illustratum, require pag. 131.

Cæterum, si cui ex Latinis Poetis licuisset magnificum sibi epitaphium parare vtique licuisset Ouidio, qui vni primas, dumtaxat, Maroni concedit. is autem modestissimum hoc cum suæ deploratione sortis, & precatione breuissima exul sibi conscripsit in Ponto.

OVIDII NASONIS Epitaphium.

Hic ego, qui iaceo tenerorum lusor amorum,
Ingenio pariū NASO Poeta meo.
At tibi qui transis non sit graue, quisquis amasti,
Dicere; Nasonis molliter ossa cubent.

In quo morem precationis obserua, cuius nos cupidos possumus, immo debemus in tumularibus inscriptionibus profiteri: cum huc collineare maxime debeat omne Christiani viri consilium; vt qua potest voce ad criminum expiationem viuorum preces exposcat.

Et quando tot nugis onerantur lapides, *dum molem, & montes insuper altos imponimus*. vide, & imitare tanto dignum ingenio epitaphium hoc, quod paulo ante laudato IO. BAPTISTÆ MARINO Principi quondam suo Humoristarum posuit Academia.

IO. BAPTISTAE MARINI Epitaphium.

EQVITI IO. BAPTISTAE MARINO
POETAE Sui Sęculi Maximo;
Cuius Musa e Partenopeis cineribus nata,
inter Lilia efflorescens,

RE-

REGES habuit Mæcenates:
Cuius Ingenium fęcunditate felicissimum
TERRARVM ORBEM habuit
admiratorem.

Breuis hęc sed luculentissima egigraphe decorum sublimiora compl ectitur, & per tropos, & emphasim innuit quicquid POLITIORVM DOCTRINARVM, ac VENETÆ NOBILITATIS SPLENDOR IO. FRANCISCVS LAVREDANVS diuino prope calamo cum æternitate sui nominis expressit: & quod maxime in tanta assentatorum licentia suspiciendum est: neq; antiquiores Vates ocreas fuisse, neque MARINVM sine exemplo in posterum fore profitetur: ita vt Hippocrenem funditus exhauserit, ac cęteris omnibus arefecerit.
Commemini in quodam epitaphio Vincentii Cagnati non absque stomacho hunc me poeticum excessum perlegisse.

Diuitias natura suas certauit in vnum
Congerere, & cunctas accipit vnus opes.
Nil igitur cæteris distribuendum supererit, festiue mimus ille subtexeret.

Caueamus igitur ne pręconiis immodicis veritatis fidem in discrimen vocemus: neue ridiculi, id quod volentibus, nolentibus nobis sępe contingit, in pangendis epigraphis videamur.

De Narratione incondita, & humili. Cap. XXXI.

VBI de superbis egimus, bonum factum existimo de inconditis maleque sonantibus, & humilibus narrationibus perbreuem sermonem instituere.

Primum mihi offert se examinandum hoc

BARTHOLOMAEI LATOMI Epitaphium.

Precare sacra verba viator;
Nam THOMAEUS hic sepultus est.
Dulci fruitur memoria
Integritatis illibatæ,
Partaque literarum gloria.
Funde puer dulce merum
Odoros sparge Flosculos
Spiret, vt bustum, madeatque Tellus.
Illaque sancta, & candida animula
Se totam nostra gratitudine inebriet.
Addemus titulum sepulcro, & istum
Barbarus vt ne quis violet.
Hic iacet vir vnus omnium
Doctissimus, & Piissimus.

Displicet mihi mirum in modum discissum illud nomē Bartholomęi per inauditam aphere-

sim

ſim, nec vllus ſani iudicii probabit diminutiuum *animula*, perinde quaſi de pupulo perageret. vltimum denique pręconium. ſ. *Hic iacet vir vnus omnium doctiſſimus, & pijſſimus*, nę dignum IOANNE CHRYSOSTOMO.

Vitanda eſt etiam qua in ſententia, qua in vocibus humilitas; potius enim Conditorium, vel vrnā quam Sarcophagum ſcriberem, quod nomē toties in epitaphiis non vltimi ordinis ſcriptores vſurparunt apud Franciſcum Suueertium.

Sic, & Petrus LEO dudum in ſermonem adductus in hac inſcriptione.

IOANN. & N.

Pietas, Religio, & literarum ſtudia eadem Sanctiſſimis amicitiæ legibus obligarunt pariter ita, vt alter in alterius Cordis Caſella, Cameraue viuat, & ſpiret.

Nū enim verba, aut formulæ elegantiores Latio deerant, aut cur minus euitata cacophonia in illis vocibus *Cameraue viuat, & ſpiret*?

BARONIVS to. IX. Annal. refert hoc.

LVDOVICI THEOPHILI II. IMP. Epitaphium.

Imperij fulmen, Francorum nobile culmen,
Exemptus ſæculo conditur hoc tumulo
REX LVDOVICVS, pietatis tantus amicus,
&c.

&

Et haud pauca eiuscemodi numeri offendes apud Suueertium, quæ sane puerilia sunt; & hoc præcipue tanto indignum Imperatore.

De obscuritate vitanda.
Cap. XXXII.

NEq; vero minus exilitas, humilitasq. effugienda est epitaphiorum scriptori, quam obscuritas, quæ in quibusdam se interdum præfert. suboscuris omissis, quale fuit epitaphium Imperatoris THEODOSII vnicum .s. hoc verbum SANITAS, qua ostendit, se vel Regiis abiectis insignibus, nequisse nisi post mortem quiescere. quædam prorsus enigmatica recensere minime grauabor. Tale sane existimabitur hoc inexplicabile

Epiaphium:
PHILIPPAE VARANAE Ferrariensis.
Mulieris Ingenio, & Eruditione
haud vulgaris.

D. M. S.

Quę sunt, pro his quæ non sunt;
quæ si essent, pro his, quę cum sint, non sunt;
quę videntur esse, pro his quę clam sunt; in causa sunt, vt quod estis sitis.

Cuius

Cuius hanc ipse sententiam esse censerem ignorantiam .s. *veri, ac latentis boni*, vt BOETIVS de Consol.l.3.m.8. in causa esse nostrarum calamitatum; quamuis Remigius Florentinus censeat, auctricis mentem fuisse edocere nos a DEO, & causis ipsius administris habere, quicquid habemus, vel DEVM per conditas ab se res, nobis vitam, & sensum conseruare.

OEdipo vero coniectore, vel Heleno videbitur hoc indigere, quod Mediolanensis Patauinę misit academię, vt idem perhibet scriptor in epist. ad Cęs. Pauesium.

D. M. S.

AElia, Lælia, Crispi, nec vir, nec Mulier
nec Andregina.
Nec Iuuenis, nec Puella, nec Anus.
Nec Casta, nec Meretrix, nec Pudica.
Sed omnia:
Sublata, neque fame, neque ferro, neque veneno:
Sed omnibus;
Nec Cœlo, nec Terris, nec Aquis;
Sed vbique iacet.

Cum reliquis, quę refugiam excribere, cui cum ad calcem adscriptum sit A. M. P. P. D. hoc est, *Aqua Maris Pluuiam Pluuit Deus*. De Mare hoc enigma conflatum quidam existimarunt

runt. Inſpiciatur explanatio Liceti Patauinis, vt audiui, typis impreſſa.

Huic vero alterum parum abſimile perlegi hic in D. ALBERTI, videlicet.

Corporeo, ſi Corpus calcatur,
calcans incorporeus
Corpus tamen lętatur.

Cuius hanc eſſe interpretationem ſuſpicarer. ſ. *Et ſi CORPVS* (tale enim eſt defuncti cognomē-tum) *Corporeo, hoc eſt ſaxo calcatur. CORPVS tamen Incorporeus calcans*. ſ. mortalia *lætatur.*

A quibus inſcriptionum ſphyngibus, ipſe abſtinēdum hortarer, quia plurimum tenebrarum antequam percipiantur; nihil luminis, vel intellectæ præſeferant.

Addas, quod cum Tullius e monumentorum epigrammatibus potiſſimum coniiciat ſtudiū in nobis noſtræ perennitatis in Orat. contra L. Piſ. eo nobis colliniandum eſt, dum tumulos excitamus, vt demortuorum fama, & virtutes ad poſteros tranſmeent æmulationem gloriæ concitaturæ.

Quod ſi cuipiam eſſet obfirmatus animus colludendi per ſuboſcurum aliquod nomen, vel cognomen: ita epigraphem enitatur compingere, vt lumen intelligentiæ non pręſtruat omnino,

fie-

fieret hoc fortasse, si CORPI epitaphium in hanc cogeretur sententiam.

CORPVS non totus interijt.

Ipse tamen in pangendis epigraphis ab omnibus senticetis abhorrerem, ita vt, quæ monumentis inscribuntur, quantum inscriptionis conditio patitur, sint omnibus obuia: quapropter Nobilis vir Bernardinus LIPPIVS in hoc Pœcili Medicæ artis interpres, tumularem Patri condens epigraphem, relictis antiquissimi Chironis vocabulis, Latię sic elocutionis florem libauit.

D. O. M.

Perennique Memoriæ
LAELII LIPPI Patricij Lucens.
Qui SENATVS decreto
Sæuienti Pestilentiæ
Methodicis amuletis, quartum occurrens
Proprio Capite lubens
Ciuium Saluti litauit.
Anno M. DC. XXXI.
Paternæ in Patriam charitatis æmuli
Bernardinus, & Augustinus
FF. PP.

Neque tamen quispiam suspicetur adamare me stylum inopem, & nudum: vel antiquas dic-

tiones,

tiones, quæ prorsus non exoleuerunt damnare, vt *Lacruma, optume, &c.* quę parum obscuritatis, vel literatulis possunt afferre. cum præsertim aliquid videantur eius maiestatis pręmonstrare, quam anxie venantur quidam recentiores; ij nempe, qui singulas epigrapharum dictiones, singulis punctis discriminant, qui antiquitatis Simii, intersectis lineis nihil significantibus occupant spatia earundem, hoc vno videlicet nomine, quod ea in antiquatum inscriptionum exemplis apud MANVTIVM, vel LIPSIVM fuerint conspicati.

Quod verò LAVRENTIVS, TORGERIVS, & alii modo *deuotionis Anathema*, nunc seruitutis auctoramentum, Xeniolum Mnemosynon, vel aliud vsurpent id genus vocabulum sub finem elogiorum, vel inscriptionum nihil laboro. haud enim difficile, vel propriam, vel parum ab ipsa diffidentem interpretationem eiuscemodi vocibus dare. Habes in miscellaneis ad hanc rē elucidationemepigraphę Aug. MASCARDI.

Diuitandas vtique suaderem dyereses illas, per quas soluti sunt gignendi casus in hac inscriptione, quam huc traduco ex PANVINIO de Imperio Romano.

Annia. P. L. Flora
Ex testamento Bonai, Deai sacrum.
Saluia Soror, & C. Liberta
Sua pecunia fac, cur.

Sic

Sit auctarii loco, illa apud F. Suueertium epigraphe de M: Tullio in qua *Aue* scribitur per *H.* scilicet.

MARCE TVLLI CICERO HAVE.

Quam scribendi rationem imitati sunt LAVRENTIVS, PIGNORIVS in elogio Francisci PONÆ, & alii nonnulli recentiores, ac meo quidem iudicio absque reprehensione: quandoquidem inscriptionis intelligentia nullis aliis autiquitatibus prępeditur.

De Notis Compendiarijs.
Cap. XXXIII.

IN More positum fuit apud antiquos tabulas votiuas, & alia id generis monumenta per notas compendiarias dicare, a qua non rara antiquorum consuetudine, recentiores adhuc omnino haud resiliere.

Refert PANVINIVS de Ciuit. Rom. ita exaratam hoc pacto actionem gratiarum.

LVNAE AETER. SACR.
Pro Salute Imp. CAES.
L. SEPTIMI SEV. PII Inuicti
PONT. MAX. PP.

Præ-

Præferebant prisca epitaphia nuncupationem Diis Manibus, correptā hoc pacto.

. D. M.

Reliquiæ Corporis M. TARQVINII
Crispi FRontonis. C. L. III. Viri Cap.
Idem de Ciuit. Rom.

Quæ nuncupatio interdum haud corripiebatur, hinc apud eundem ibi.

Dis Manibus.
T. Flauius. T. F. Pont. Sabinus
Vix. Ann. LXVI. D. VIII. Hor. VIII.
H. S. E.

Vnde ansam cœpit Crassus ludendi in epitaphio, quod Mulę suę positum ab ipso supra retulimus, inscribens pro

Dis Manibus Sacrum.
Dis Pedibus Saxum.

In superiori inscriptione, cum animaduerterim dies per D. correptum. Horas per Hor. intelligibili scriptione notatas, edisco non coniungere alteram alteri notam compendiariam ad tenebras offundendas, quis enim in hac epigraphe CARD. FORTIGVERRII significationem harum literarum inuestigabit?

D. A.

D. A. A. A.

NICOL. FORTIG. Deuictori omnium S. R. E.
Euersanor. hostium, & sup. Omn. retro
Cardinales Prudentiss.
B. R. C. N. Viro B. Mer. S. P. Q. R.
PIO II. Pont. Max.
Orbi Domin. Hoc Apium Funebre.
P. P. C.

Quilibet ſane ſcribere poteſt C. N. L. V. non autem quilibet interpretari conſilium prefigentis hanc nuncupationem, videlicet CHRISTO NOSTRÆ LIBERTATIS VINDICI, Et ad prenotatum epitaphium redeuntes, animaduertamus etiam apud antiquos inanem in adnotandis diebus, & horis curioſitatem. Apicum vero, qui in eius calce ſpectantur, hanc lectionem eſſe exiſtimarem. *Hoc Sepulcrum elegit*, In aliquibus etiam adiectum cernas *SVPERSTES hoc ſibi monumentum elegit*. Ita pariter H. F. C. ſ. *Hoc faciendum curauit*.

Nonnunquam vero pro Dis Manibus ſufficiebant *Genio Somni* per litterarũ compendium hoc pacto. ſ. G. S. vel *Gen. Som.* PORCHACCHIVS de Antiquorum exequiis. Nec raro addebant *Mem.* vel magis expreſſe *MEMORIAE*. Nos vt par eſt D. O. M. vel IESV SERVATORI. Sunt certius in Romanis,

IESV CHRISTO
Spei, & Saluti Fidelium.
PAVLO IV. CARAPHÆ PONT. MAX.
Eloquentia, Sapientia singulari.
Innocentia, Liberalitate, Animi magnitudine
Præstantissimo.

Et in Toletanis.

Pia Memorię Sacr.
FRANCISCAE FLORIDAE, Mulieri
Incomparabili.

Ad calcem inscriptionis fausta vouentes ponebant *S. T. T. L.* s. *Sit tibi Terra leuis.* Imprecantes vero diras, & execrationes *S. T. T. G.* i. *Sit tibi Terra grauis.* vt LIPSIVS antiquarum lectionum lib. 5. & LAVRENTIVS, in opusc. licet faustam precationem sis quam sępissime expressam visurus, & in epitaphio Nasonis pag. 150. & in quamplurimis eorum, quę Franciscus Suueertius collegit. Antiqui pariter scribebant, quos modo imitantur recentiores *H. M. P. C.* Hoc. s. *monumentum ponendum curauit*, & cum duplici, aut triplici *P.* vt in Sarazanensi Basilica sub epigraphe Illustrissimi IO. BAPTISTÆ SALVAGI, si tres fuissent, qui lapidem, aut Monumentum statuebant, quod etiam, si tres, quibus aliquid dicaretur. Ita in Symacho animaduerti, dum ad Valẽtinianum, Theodosium,

& Ar-

& Archadiis scribens de restituendis Vestalibus triplici *D.D.D.* hoc pacto, tripliciq; *N.N.N.* nuncupationem præsignat. Videas SVVEERTIVM fol. 92. ep. 1. Item pag. 100. ep. 1.

Interdum vero non duplici PP. sed ita *Poss.* vel triplic s. hoc pacto *Possss.* ita in epitaphio Montanimæ, quod præced. cap. retuli. & Paulus SADOLETVS, aliiq; doctissimi viri in epitaphiis a Suueertio collectis.

Interdum vero, quamuis multitudinis numero exprimendum sit verbum efferunt nihilo secius cum vnico .s. hoc pacto *Pos.* De Sfortia PICENARDO Suueertius in Louaniens.

VALERIVS, & SFORTIA Fratres
PATRVO, & PATRI
B. M. Pos.

Nec raro verbum nullum in epigraphe exprimitur, vt hęc ex PANVIN. de Ciu. Rom.

BAENIAE. C. N. Filię Balbillę
Sacerdoti D. Faustina
Decuriones
AEre collato ob merita eius.

Num autem laudabilis sit nunc etiam huiuscemodi notarum vsus; equidem sic existimarem: Antiquiores qui illis in inscriptionibus vsi sunt,

Ita namque satisfaciendum ijs, qui aliquid maiestatis epitaphio conciliari arbitrantur ex antiquo literarum compendio. Cæterum ipse in hoc epitaphio scopulos hosce declinandos ita existimaui.

D. O. M.

Vt quorum calentes animos vnum in vita
cor excepit;
eorundem subfrigentes
artus vnum condat marmor
Post fata;
DOMINICVS CIVA integerrimę vxori N. M.
Sibique Hoc Mon. Pos. Superstes.
Prope Aram DD. ZENONIS, & N. cui
ad quotidianum Missæ sacrum stipem
legauit perennem.

Vnum denique huic capiti addam auctarium; me, scilicet, animaduertisse vernaculas nostras supputationes latinis epigrammatibus interscriptas. Recentiora exempla pręetereo contentus antiquo vno, vel altero, quod ex Panuinio de Ciu. Rom.

C. Valer. C. F. Flauia spect.
Sisica Mil. Coh. VIII. P. R. 7. Voconi Mil.
ann. VI. vix. ann. XXIV.

 Item

Item

C. Iulio. C. F. Pub. Rufo Veterano Coh. VI
P. R. 7. Aquilij Maximi Prætor Aed.
IIII. Viro I. D. Municipio
Aletri C. Julius C. F. Rufinus Fratri B. M.
& sibi, Posterisque suis.

Neq; illud prętereo in fine versus seu lineę inscriptionis non esse notę compendiariæ punctum apponendum ; quia hoc interponitur dictionibus, vt vnam ab altera correpta secernamus: nil igitur est, cur ibi collocetur; nisi suapte natura talem sibi sedem vindicaret.

De Comparanda Epigraphis breuitate,
Appendix ad Cap. XXVIII.

AMicorum literis cogor ostendere quo pacto longę historicorum descriptiones ad pressas, & breues possint reduci, & vndę petenda censeam ipsarum exempla. Min. igitur Africani descriptionem ex 1. lib hist. Velleii Paterculi huc regeram, & concinnabo.

PVB. SCIPIONIS
Descriptio,

PVB. SCIPIO Aemilianus, vir auitis P. Africani, paternisque L. Pauli virtutibus simillimus

mus: omnibus belli, ac toga dotibus, ingeniĳque, ac studiorum eminentissimus saeculi sui; qui nihil in vita nisi laudandum, aut fecit, aut dixit, aut sensit. quem Paulo genitum, adoptatum a Scipione Africani filio diximus, adilitatem petens, simul Consul creatus est, Bellum Carthagini iam ante biennium a prioribus Consulibus illatum maiori vi intulit: Cum ante in Hispania nauali Corona in Africa obsidionali donatus esset: in Hispania etiam ex pronocatione ipse modicus virium, immensę magnitudinis hostem interemisset: eamque vrbem magis inuidia Imperĳ, quam vllius temporis noxia inuisam Romano Nomini, funditus sustulit: fecitque suę virtutis monumentum, quod fuerat aui eius clementia.

Et paucis interiectis.

Scipio tam elegans liberalium studiorum, omnisque doctrinę & auctor, & admirator fuit; vt Polibium, Panatiumque praecellentes ingenio viros domi, militiaeque secum habuerit: neq; vero quisquam hoc Scipione elegantius internalla negotiorum otio dispunxit: semperque, aut pacis, aut belli seruĳt artibus: Semperque inter arma, & studia versatus, aut corpus periculis, aut animum disciplinis exercuit.

Pub. Scipio Africanus AEmilianus, qui Carthaginem deleuerat post tot acceptas circa Numantiam clades, creatus iterum Consul, missusque in Hispaniam, fortuna, virtutique experta in Africa,

respondit in Hispania; & infra annum, ac sex menses, quo eo deuenerat, circundatam operibus Numantiam solo æquauit; nec quisquam vllius gentis, aut hominum clariore vrbium excidio nomen suum perpetuæ commendauit memoriæ. Reuersus in Vrbem intra breue tempus M. Aquilio, Caio Sempronio Cõsulibus, ab hinc ann. CL. post duos Consulatus, duosque triumphos, & bis excisos terrores Reipub. mane in lectulo repertus est mortuus. ita vt quædam elisarum faucium in ceruice reperirentur notæ. De tanti viri morte nulla habita est quæstio, eiusque corpus velato capite elatum est; cuius opera supra totum Terrarum Orbem Roma extulerat Caput. Seu fatalem, seu conflatam insidijs mortem obijt. Vitam certe dignissimam egit, quæ nullius ad id temporis, quam auito fulgore vinceretur. Decessit anno fere LVI.

Vides iam quo pacto tantas viri virtutes, ac gloriosa facinora breuissime attigerit: poterunt hæc tamen ita coarctari redigendis quippe actionibus cum dignitate ad ordinem, ac temporum seriem; vt .s. scribamus prius in Hispania Naualem Coronam, & palmam de Gigante bellatore interempto consecutum: ne iterum sit repetenda nobis Hispania.

Neque Consulatus sunt illi, fascesq; deferendi; priusque decoratus sit Corona Nauali, post peracta militiæ tyrocinia.

Nec illa interempti immanis hostis enarratio

In singulari certamine tam minute erit exaranda; ita & alia id genus expungenda: neq; enim minora in tanti bellatoris epigraphe, inter tot res præclarissime gestas recensenda; sed presse duntaxat, subindicanda. illud enim apprime persuasum est debere inscriptiones ab historicis & panegyricis narrationibus dissidere.

Animaduertas autem quantum sententiis, schematibus, leporibus studuerit Velleius, perinde quasi elogiastem, non historicum ageret.

Nec graueris eiusdem Africani interitum inspicere in Sex. Aurelio: qui ideo velato capite elatum fuisse perhibuit: ne .s. in ore liuor appareret. Noster vero cum hoc nobis subindicasset intelligendum; dum ait ***apparuisse in ceruice notas faucium elisarum*** ad magnificentissimam illam tanti Imperatoris commendationem, & commiserationem excurrit. ***Velato .s. elatus est capite, cuius opera supra totum Terrarum Orbem Roma extulerat caput.*** Alteram alteri conferas; & videas quantum alter ab altero ingenio, & maiestate dissideat. obserues etiam artificium illud, tum in inscriptionibus, tum precipue in elogiis sepulcralibus, quo sibi ad acumen parauit viam. habes huius exemplum in illo pueri tumulo, quod iam exhibuimus cap. XXX. in quo per interrogationem sibi occasionem vindicauit adtexendi clausulam illam, in qua tam lepide spirat elogium. s.

Nec

Hac Tellus nimis arida est viator;
Nostri facta percussione amoris.
Quod si lacrymulis tuis madescet:
Forsan flos nouus ibit e sepulcro.

& in epitaphio Vlyssis VENTVRII, quod cap. XXXI retuli, & apud Suueertium habes tumularem epigraphem Hadriani SVVEERTII.

Animaduertas præterea qua idem scriptor arte ludat, quantumque impenderit studii, dum scripsit *Aut corpus periculis, aut animum disciplinis exercuit*. Satis enim historico iam fecerat muneri, dum dixerat, *aut pacis, aut belli seruijs artibus*. Ad hęc *fecit virtutis suæ monumentum, quod fuerat Aui eius clementiæ*. ac demum quo pacto hanc, & complures perillustri exprimat forma, insigni claudat sententia.

Inspice quęso hanc M. TVLLII ex eodem Velleio lib. 2.

MARCVS CICERO, qui omnia incrementa sua sibi debuit, vir nouitatis nobilissimę; & vt vita clarus, ita ingenio maximus; qui effecit, ne quorum arma viceramus, eorum ingenio vinceremur.

Quod si tantam historicus artem adhibuit: quantum debet in genuino elaborare elogiastes, quantum epigrapheus.

DE P. SCIPIONE.

PVB. SCIPIO Africanus Æmilianus Paulo genitus, a Scipione Africani filio adoptatus, Patris,

&

Aui virtutes ad viuum expressit, rebus, verbis, consilijs innocens non modo; sed clarus. Vir elegantissimo ingenio, doctrinisque supra fidem deditus, in admirationem exultus, eruditissimis viris addictus; ita temporis parcus, vt artibus pacis impenderet, quod belli surriperet: semperque studia inter & arma versatus, aut periculis corpus, aut disciplinis animum exerceret. In Hispania Naualem Coronam, ac deuicto immanis magnitudinis hoste singulari certamine, in Africa obsidionalem promeruit. Bellicis artibus clarus Ædilitatem petens, Consul designatus, bellum ante Carthagini illatum vrsit validius; dirutamque fecit suæ monumentum virtutis, quæ fuerat Aui eius clementiæ. Africani cognomento potitus rursus in Iberiam missus, Numantino addidit excidio ad nominis immortalitatem. In patriam regressus gemino Consulatu, totidemque gloriosus triumphis, astu, vel fato increnta post clades Numantinas extinctus, velato elatus est Capite; PER QVEM VRBS SVPRA TERRARVM ORBEM EXTVLERAT CAPVT nullius quam Auitæ gloriæ fulgore superatus ingeminata clarissimus gloria decessit. Anno &c.

En quo pacto ingens rerum gestarum narratio, potest ad inscriptionis formam traduci. Quod si alicui nimium, adhuc prolixa videatur, ne is hanc Africani esse meminerit, atque has inspiciat C. MARII, & PII V. inscriptiones.

C. MA-

C. MARII In Exquilijs situm
ad ipsius Trophæa.
Epigramma.

CAIVS MARIVS COS.
VII. Pr. Trib. Plebis, & Augur. Trib. Milit.
extra sortem bellum cum Iugurta Rege Numidarum
Procos. gessit, eum cœpit, ac Triumphans in
Iouis Ædem ante Currum suum II. Consulatu duci
iussit. III. Cos. absens creatus est. IIII. Cos. Teutonum
deleuit exercitũ. V. Cos. Cimbros fudit ex . . . .
Teutonis iterum triumphauit. Rempublicam turbatam
seditionibus Trib. Pleb. & Præt. qui armati
Capitolium insederant VI. Cos. vindicauit. Post
annos Septuag. Patria expulsus per arma Ciuilia,
armis restitutus, VII. Cos. factus est. De Manubijs
Cimbricis, & Teutonicis ædem honori, & virtuti
fecit veste triumphali calceis puniceis, &c.

DE PIO V.
SVVEERTIVS in Romanis.

PIVS V. PONTIFEX.
Religionis, ac Prudentiæ vindex,
Recti, ac Iusti Assertor,
Morum, & Disciplinæ Restaurator,
CHRISTIANAE Reip. Defensor,
Salutaribus æditis legibus,
GALLIA Conseruata

Princi-

Principibus fœdere iunctis,
Parta de Turcis victoria ingentibus ausis
& factis,
Pacis, bellique gloria
MAXIMVS, PIVS,
FELIX, OPTIMVS PRINCEPS.

Cum autem nullam propemodum recentiores epigrapham sine acuminibus leporibusque exarent: inscriptionem efformaturi voluamus animo, quibus illam argutiis, elocutionibus insignem possimus effingere: cum magno enim seculi illius dedecore, quo tot, tantaque ingenia floruere, Traiani Colunnę incisa fuerunt hæc verba.

Columna TRAIANI *hæc iubet* XISTVS PATER
Esto scabellum APOSTOLORVM
PRINCIPI.

Mirum enim quantum hæc splendeat, quasi e regione Augustali insculpta obelisco.

Diuinos AVGVSTI *honores*
Quod fregerit tempus improbat.
Diuinitatis enim culmen Æternitas.
Quæ SISTIT XISTVS
CHRISTI SIGNVM IN CVLMINE.

Lon-

Io. Baptista BRACCELLIVS Can. Sarazanen. vir vt cętera prætermittam, non minus erudi-tę, quam floridę italico-latinę dictionis, hanc per interceptam sententiam efformauit illi similem quam paulo ante ex Romanis Francisci Suuecertii desumpsi de PIO V. Summo, Optimoque Pontifice.

HORTVLOS
in areolas puluillosque dispositos
IOANNES BAPTISTA SALVAGVS
EPISC. LVNEN. SARZANEN. ET COMES;
vt sibi quietius quandoq; vacaret,
vt successoribus munere pressis
gratum secessum consuleret:
& ne post testatam pietatem
mirifica sacrorum ossium auro gemmisq; nitentium
in sponsam largitione
quid Episcopali domui deesset ornatus;
Posuit hic semper
AMOENOS.

De sacrorum ossium largitione mentionem fecit vir iste doctissimus, ac proinde aliquantulum produxit epigraphem; obsecundans tanti Presulis genio, & pietati, cuius hoc vnum semper fuit consilium, rebus a se liberaliter egregieque peractis subsecuturos vbique ad sui imitationem prouocare.

Esset

Esset hic locus agendi de inscriptionis incidendæ ratione; sed satis sint ea, quę de Isocolo capite XIV. laudatur enim mihi imparibus versiculis discriminata quasi in agmina epigraphe; quum ipsius membra non solum continenti lectione, sed vnumquodque inferiori respondẽs peculiarem sententiam refert haud parua cum legentium iucunditate.

Sit hæc nobis exemplo, qua XISTO V. SERAPHICI Ordinis Iubari Theoremata dicauit M. BERNARDINVS MANZONIVS P. CÆSENAS Romæ Anno 1631.

XISTI QVINTI
PONTIFICVM, PRINCIPVM, SAPIENTVM
SVMMI, OPTIMI, MAXIMI,
GLORioso NOMini. MEMoria IMMORtali
Q V I
Musarum Mæcenas Legum Numa, Laborum Alcides
ORBEM MERITIS, VRBEM MIRACVLIS
SE IPSO MAIOR IMPLEVIT.

Cur autem antiquiores, & nunc Iosephus LAVRENTIVS in epigraphis opusculorum philolog. singulis dictionibus singula puncta apposuerint, cum cęteroqui spatia dictiones a dictionibus secernant; & quęlibet periodus per vsitatam interpungendi rationem facilius ab alia periodo, quam per illam distingueretur, me fugit omnino.

De

De Trophæorum Epigraphis. Cap. XXXIV.

FVisse adinuenta Trophęa, vt animos victoribus adderent, gloriamque nominis eternitati ad posterorum ęmulationem commendarent, vix erit, qui ambigat.

Hic vero Diodorum Siculum adeat, lib. 20. & in Equestribus Aristophanem antiquiorem, apud quem reperiet bene de Republica meritos fuisse ab Atheniensibus intextos Peplo Minervæ, & apud Plutarchum Miltiadis trophęa Themistocli somnos interupisse.

Est quidem & alia causa, quę ad comminiscenda Trophęa impulit antiquitatem; nempe, vt deuictos hostes torquerent, nec eorum ignominiam deleri paterentur. Exemplo sit illud Artemisiæ, de quo mox verba faciam.

Hinc apud Tacitum Annal. lib. 2. habemus nihil ęque deuictos Germanos anxisse, excruciasse, iterumque ad arma compulisse, quam posita de ipsis trophęa. Quapropter apud Diodorum lib. 5. & Plutar. in Problemmatibus lignea erecta potius quam lapidea legimus; vt eo citius causę discordiarum abolerentur.

Fiebant vero ex ære, marmore, lapidum congestu, vt Alex. Genial. lib. 1. cap. 22. quin & si minus suppetiisset materies; arborem insignem appensis hostium exuuijs in Trophęum

sta-

ſtatuebant. vt Maro Æneid. lib. XI.
Adiiciam; Trophęa fuiſſe interdũ ex opere teſtaceo efformata, quibus affigi exuuię promptius, ac facilius valerent. talia C. Marius ad aquas Saluias. Metellus vero deuicto Sertorio aureum ſibi iuſſit ſiſti trophęum: Auguſtus roſtratam Columnam.

Quis vero trophęum Princeps ſtatuerit, haud ſane comperij; illud vero omnium propemodũ fuiſſe antiquiſſimum opinarer, quod Hercules enecto Hippocoonte cum filiis, poſuit in Laconia. Vt Pauſan. in Atticis. Alij vero quod Artemiſia Rhodo deuictá. Cęterum quandocumque hoſtes fuſi, aut profligati inſigni victoria fuiſſent, bene geſtæ rei monumenta ſubſecutis temporibus, plerumque fuere excitata trophęa; ita dicta a Gręca dictione *Tropaeon*, quaſi profligati hoſtis memoria. ita apud Thucyd. lib. 6. Hæc vero fere ſemper cũ inſctiptione, interdum etiam cum imaginibus, vel perpolito lapide, abſque vlla epigraphe ſtatuebantur. Artemiſia Rhodo ſubacta duas imagines æreas excitauit, alteram Vrbis Rhodię, ſui alteram illi ſtygmata inurentis. Fabius Æmilianus deuictis Gallis perpolito donatus eſt marmore, vice trophęi. Strabo lib. 4. . Ex quibus elicias haud longas eſſe monumentis hiſce addendas inſcriptiones; cum earum verba mutarum impleant vices figurarum.

Breuia vero antiquissima trophęorum epigrã-mata fuisse comperio, tum apud Chrisermum lib. 3. rerum Peloponesiacarum, tum apud Liuium (vt alios omittam) lib. IX. Dec. I. Quorum alter refert Othryadem Lacedęmonium, cum in Argiuos fortiter pugnando euasisset, scutis, ex cœsis correptis Trophęum excitasse, ac proprio inscripsisse cruore.

Ioui in cuius potestate sunt Trophęa.

Apud alterum vero Albinus scutis hostium contractis inscripsit sanguine.

Romani de Samnitibus.

Ioui in cuius potestate sunt Trophaa.

Et Marone lib. III. Æneid.

Æneas hęc de Danais victoribus arma.

Cur autem idem lib. XI. tam prolixam atque minutam sex .s. carminum efformarit epigraphem; satis mirari non possum: perfecta enim erat verbis hisce.

Mexentij Ducis exuuias tibi magne Trophęum
Bellipotens aptat. Nec addere

—— rorantes sanguine cristas,

Telaque trunca viri, cum reliquis.

Nisi fortasse opinemur hinc arrepta occasione voluisse quę in Trophęum suspendebantur luculenter narrare, quemadmodum sæpe exequiarum ritus, pompam, & alia ad eruditionem spectantia.

Quic.

Quicquid autem de hoc TASSVS Cantat. XIX. Ogdoade LXIII. (adhuc enim nescio, ò dictionariorum Prȩsides, quomodo hȩc latine pronunciem; neque tamen vellem cum ijs, qui *Sonettos*, & *Madrigales* latine scripsere, a vobis vapulare) Tassus, inquam, illic talem ab Ormondo excogitatam fingit inscriptionem.

Quest'arme in Guerra al Capitan Francese,
Distruggitor dell'Asia Ormondo trasse,
Quando gli trasse l'alma, e le sospese,
Perche memoria eterna ne restaße.

Et consultissime ab AREOSTO vnicum armis ORLANDI Palatini carmen suppositum capite V. demonstrauimus, quo proculdubio plura intelligerentur, quam ipsa epigrammatis facies exprimeret.

Quapropter, & tanti epigraphȩ trophȩorum valent, quanti pigmenta, quibus excriptæ (qualis ea, quam superius Othriades) quanti deuictarum gentium nomina, vincentium virtus, & claritudo victoriæ.

Qua de causa superbum compellat Tacitus hunc, quem Germanicus Trophȩo supposuit titulum. Annal lib. 2.

Debellatis inter Rhenum, Albimq; nationibus Exercitum Tiberij Cȩsaris, ea monimenta Marti, & Ioui, & Augusto sacrauisse.

M 2 Cum

Cum vero TACITVS doceat; nihil de se addidisse Germanicum, facti conscientiam satis ratum. illos hinc possem perstringere, qui vbi, vel lagenam resarciendam curarint: inuerso inscribunt alueo literis grandioribus nomen, & annum, quo tantum opus patrarint. Haud obscurum est sugillatum hac de causa fuisse PARIETARIÆ nomine TRAIANVM CÆSAREM a Costantino apud Cuspinianum. quod nominis sui parietibus passim infigendi occasionē emendicaret. Cęterum ad conspicuæ inscriptionis exemplar hanc denique adducam e solemnibus Capitolij Apparatibus, quos SANTISSIMI D. N. VRBANI GLORIOSÆ IMMORTALITATI SACRAVIT *AVGVSTINVS MASCARDVS*.

VRBANO OCTAVO
PRINCIPVM MAXIMO.
QVOD SACRVM IMPERIVM
PATRVM Suffragatione delatum
Religione Sapientia Votis Populorum
Promeritus
Inuidiam Ætatis Integrę
Prętogatiua Virtutis Elusit.
S. P. Q. R.
Publicę Gratulationis Argumentum
Posuit.

Pulò

Pulcherrimas, omnibusque numeris absolutas subministrat SVVEERTIVS de SS. ROMAN. PONT.

Dignas doctorum oculis, & Encomijs pangit multiplici eruditione, & facundia conspicuus D. OCTAVIVS BOLDONIVS, PRÆCLARVM SYDVS INSVBRIÆ, & Eximium Florentiss. Congreg. REGVL. CLER. Ornamentum; qui licet luculentissima Epistola acuminis, & iudicij sui in hoc argumento spectaculum hodie mihi iucundissimum det; ab eo tamen hic repręsentando mihi temperabo; quod cum noua suorum elogiorum impressione, complures etiam inscriptiones exhibiturus sit orbi suspiciendas.

Esset hic locus agendi de anagrammatibus, quæ sępe carminibus; interdum etiam liberis inscriptionibus inficetissime interponuntur, sed satis in pręsentiarum sit ad hos & Epigrammatistras laboris, & diligentię suę plerumque inanis admonendos, hoc vnum adtexuisse anonymi scriptoris tetrasticon.

Quo nam vocales huc illuc pellere tandem
Vultis, & infantes cogere litterulas?
Otia. vt Augusto faciente solebat in vnum
Cogere Tyrsis oues rure, Capras Coridon.

Quod enim ad illa discerptarum syllabarum

carmina. Vt feriunt dimidiata illa dictionum agmina, quasi in Lydias acies digesta: Ibi nec lepôres oblectant, nec saliunt sales: nulla apparet maiestas, argutiæ nullę; nisi futilis illa, & infelix vocum diffindendarum.

Ad Postremum experimento compertum est; PERRARO inscriptionum voces, & eiusemodi figurarum conformationi, & acuminibus, ac lepiditati pariter inseruire.

DE

DE ENCOMIO EPOENO, ET EPINICIO.

CAP. XXXV.

ENcomium, vt Alex. genial. lib. 1. cap. 22. fuit olim carmen in laudem Victoris; quo res ab eo præclare gestę illustri præconio canebantur; quod Epinicium dixere. Quibus posset ex verbis Rhetor encomium ab ipsius antiquitate laudare, quippe cum nullum sit hoc antiquius genus exornationis, quo sempiterno NVMINI laudes, gratiasque persoluunt *Cęlites ob institiam sua clementia deuictam*. Isai. cap. 6.

Ego vero vtilia potius, quam speciosa consectans, atque huius celebrandi argumenti munus consulto aliis relinquens, quid veteres de ENCOMIO EPOENO, & EPINICIO quid recentiores sentiant; quid demum ipse quasi perfunctorie narrabo.

Encomium, quod Alexander ex Plutarcho in Fabio definiuit *Carmen Victoriale.* Cęlius R. lib. 12. cap. 15. tradit fuisse *Conuiualem Cantilenam* ab eruditis dumtaxat decantatam, qualis fuit is, qui primus hanc cecinit Terpander.

Ex quibus verbis conijcio, quam luculentum esse deceat encomium. siquidem non carmen quodcumque, sed illustre, & cantilena peritorum dum taxat cantu deprompta. quodque olim de carmine, idem nunc de soluta ipsius oratione dicendum.

Conijcio pariter Encomium in hoc ab Epæno diffidere; quod *Epænum sit exornatio virtutis amplitudinem efferens non ex gestis rebus; sed ex dignitate virtutis*: ita vt illi etiam tribui possit, qui aliqua virtute sit præditus; licet illam haud quaquā exeruerit: Carmen vero victoriale, quod *Encomium* dicimus, & *Epinicium* non nisi magnis rebus gestis alicui tribuatur. vt Alexan. Aphrodis. 4. lib. Top. Sed hoc forsan minus ad rem.

At vero Cęlius ex Menandro edocet lib. 7. cap. 5. *Epænum dici testimonium de aliqua peculiari virtute: vti de Iustitia Aristidis.* Encomium autem virtutes omnes percurrere; ita vt genus, educationem, & res gestas attingat. Et en deductum iam Encomij Nomen ad significandam orationem Panegyrico haud absimilem. haud absimilem dico: nam censeo Panegyri-

cum

cum ab Encomio ijs, quas mox edisseram, peculiaribus dotibus secerni. Quamobrem Panegyricum de laudibus Helenæ non inscripsit Isocrates simpliciter *Encomium Helenæ*, sed cum hoc additamento *PANEGYRICVS*. & paucis ante annis memini me laudationem D. HIERONYMO hoc titulo videre præsignatam.

Encomium Elogiorum D. HIERONYMI.

Sed dices ex his nil aliud cogi; nisi Encomij nomen esse generale, omnes .s. laudationũ species complectens. quocirca, & apud Theonem in Progym. genus laudatiuum encomiasticum nuncupatur. Respondeo mihi sat esse ex his confici Encomium a prima sua significatione ad alias exornationis formas deriuatum, a Panegyrico, Elogioque discriminari: nam peculiarem encomio constituẽdũ esse charactere͂, quo ab aliis laudationibus seiungatur, nemo, vt reor inficiabitur. Hic autem cum a Panegyrico diffideat, (Nulla enim extant elogia Encomii titulo præsignata, quod nouerim) non erit incongruens, inter panegyricum, & elogium sedem Encomio constituere. Fauet sententiæ meæ libellus cuiusdam I. ROMÆI Mussipont. nõ illepidus sane, qui mihi nuper ad manus deuenit. Prima siquidem eius pars paruũ exhibet BEATISSIMÆ VIRGINIS Sacellum Hieroglificis distinctum imaginibus, cuius, quot sunt Icones, tot Encomia, eorum instar, quę biennio ante ipse

ipse commentus eram. *Adeo est in arduis aliquid scribere, quod antea scriptum sit nulli.* Altera vero libelli pars paralellum exhibet inter COELVM, & B. DEIPARAM Panegyrico, vt ipse fatetur, charactere efformatum. Vtriusque huc exempla traijciam, & prȩsertim de eodem argumento, quo magis promineat discrimen vtriusque scriptionis.

COELVM B. VIRGINIS
OMNIVM VIRTVTVM THEATRVM.
XX. Icon.

COELVM vides (Sodalis) ANIMAM B. MATRIS: Cœlum corruptioni non obnoxium, Animam Immortalem; Cœlum Splendidissimum, Nitidissimam Animam: Cœlum lucidissimis distinctum Astris, Animam singularibus ornatam virtutibus: Cœlum Naturȩ perfectissimum opus, Animam communicatæ gratiæ Magnificentissimum Theatrum. Gratus est cuiuis . dum iudum est, Cœli aspectns, at gratior MAGNÆ MATRIS Animæ visus. Dulce est intuenti serena nocte Stellarum agmẽ in Cœlo, velut in acie instructum, ordines quoq; diuersos, & varias faces obseruare at dulcius VIRGINIS Animam contemplanti, varias in eius facultatibus virtutes tamquam collucentes globos, & Stellas refulgentes animaduertere. Quot in Cœlo fulgent astra dicere conatur Astrologus, at

quot

quot in Anima Sanctissima MATRIS virtutes radiant, nec dicet Astronomus, nec tentauit ANGELVS. Quæ Lux, quæ Dies, quæ Faces, quę Claritas, qui Radij COELVM VIRGINALIS ANIMÆ complent, & illuminant. O Augustum Animæ Cælum AVGVSTAE! O Clarissimum permagni Numinis Theatrum! ô Aureum Primæ Veritatis Palatium! Quid tu (Sodalis Parthenice) quid ais? non ne vis Cælum in anima parare, quo possis in eo Præpotentem DEVM excipere? O si semel virtutibus exornaris, crede mihi, SPIRITVS SANCTVS illico sedem in Anima collocabit, SOLQVE JVSTITIÆ eam locupletabit.

Nunc fere ad Panegyricæ exornationis stylum mihi videtur accedere hæc D. MARIÆ COELIQVE inrer se comparatio. ex eodem.

Fateor, Christiani Quirites, hoc in immenso Terrarum Orbe multa Diuinæ magnitudinis argumenta reperiri: nullum tamen si hominem excipiatis, & Angelum, supremæ mentis potentiam vno Cælo melius demonstrare mihi videtur. Quam ob causam non erit ab re, siquidem Panegyricum MARIANVM aueo scribere; si BEATISSIMAM VIRGINEM cum illo Nobilissimo magnæ Naturæ Theatro, quod Cælestis Ædilis singulariter exornauit, comparauero. Quod vtique faciã, & alacrius, & animosius, quod videam, & Cælum, & DEIPARAM

RAM esse Gloriosam Præpotentis DEI Arcem, & Capitolium. Nec quippiam maiestati VIRGINIS derogabo, si Cælum esse professus fuero; quod quidem in eo . . . viuat immortaliter, & diuinitus spiret, huic spectabili multis partibus anteponetur. Cōparabitur tamē ea lege cū Cælo Diua PARENS, vt in eo perhonorifico stadio sim memor futurus. me non opus aggredi, nec obire munia VIRGINALIS Oratoris, sed deuoti clientis, qui libentissime suum in AVGVSTISSIMAM VIRGINEM animū monumentis testatur. Agedum quicūq; de rebus Diuinis, vltro citroque sermonem instituis, mecum te Cælo, longe à nobis dissito colloquere: aut si colloquium detrectes, ne tibi graue sit de eo disputantem audire.

Constat in primis illud corpus eo subtilius, & nobilius a Senatu Philosophorum, & Astrologorum Collegio iudicari, quo longius ab vmbilico terræ dissidet. Hinc aquam terra nobiliorem, aerem aqua, ignem aere, igne Cælum, & præstabilius, & excellentius proclamant.

Illud tenuissimum, & præstantissimum corpus a terra remotissimum, reliquis totius naturę corporibus ita dominatur Cælum, vt nullum quoad dignitatem, & celsitudinem cum eo comparari possit. Qua in re BEATA VIRGO cum Cælo similitudinis plurimum habet, quod Virginale Corpus nacta sit omnium corporum longe purissimum, ex quo Diuinissimum CHRISTI CORPVS erat

effi-

effingendum. Neque vlla mens mortalium, tam a rebus terrenis aliena fuit, quam DIVÆ VIRGINIS mentem ab ijs remotam fuisse non ignoramus. Cum luto, cum argilla nihil illi commercij erat, nihil eum auro, vel argento, nihil cum gemmis, aut margaritis, nihil cum terræ muneribus: non tam distat à terra Cœlum, quam ab agnatione terrstri VIRGINIS Animus abalienabatur.

Cœlum in suo complexu quatuor naturæ potissima corpora, &c.

Ex quibus satis elucet, quam paucis propositionem absoluat Encomiastes; pluribus Panegyristes; breuibusq; illum, productioribus hunc vti periodis. quamuis neutrius mihi propositi, styli collocatio, & cultus satis possit placere.

Sed quid age de prisca nominis impositione? idem nimirum, ac de compellatione epigrammatis, qua licet olim epigraphæ designaretur, nunc ea breui & arguto plerumque carmini præfigitur, vt Vinc. Gall. in opusc. de epigramm. cap. I.

Cum autem ad hoc exornationis genus addixerimus encomium, relinquemus epinicij titulum carmini victoriali. cuius exemplaria suppeditarunt inter recentiores eruditissimi Viri Guido VANNINIVS, & Ioannes BARCLAIVS.

Initium Epinicij
GVIDONIS VANNINII.
AD CÆSAREM

Pro Nece ADOLPHI REGIS SVECORVM

Vinis Io decor AVSTRIADVM, decor edite Cælo.
Tollis Io super Astra caput, nec maius Eous,
Aut videt Hesperius, superis mirantibus Orbis.
Vincis Io; tibi plaudit humus, tibi militat ater
Quicquid, & auricoma collustrat lampade Titā.
Quicquid, & immensis Nereus complectitur vndis
Ore, manuque tuos tollit super ætera fastus,
Atque triumphatos, Cælo auxiliante Suecos
Ingeminet Tellus, respondeat æthera, Gothorum
Cęsus ab Austriacis Erebi Rex pulsus ad amnes
Ille cruentato pulsauit vertice Terram, &c.

Tali Iuppiter calamo dignũ, de quo etiam argumento panxit Acelamationẽ ad SVMMVM SACRORVM REGEM VRBANVM VIII. quam sequenti capite cum exemplari Acclamationum BARCLAII.

Breuius igitur, Panegyrico, longius Elogio eoq; nitidius adamarem Encomium: ita vt nullæ in illo salebræ, asperitates appareant nullæ obscurioresque eruditiones. Talia propemodum mihi visus est sua exarasse And. MAV-

RO-

ROCENIVS candido .s. stylo, florentique, ni forsan aliquantulo prolixiori.

Cum autem Cęlius Rhodiginus loco multo ante memorato perhibeat dictum a quibusdam Epœnum, quo laudamus viua commemoratione virtutum; Encomium vero quod absque assensu, & calculis fit vmbratili exornationis genere ad exercendum ingenium, hinc etiam possemus elicere magnam adhibendam esse in encomio texendo solertiam, nec tantam austeritatem, vt ad meritorum trutinā laudes semper sint exigendę.

Nec vero iis assentior qui censent etiam probra Encomii titulo posse pręsignari; eo quod ignauorum scelera, non secus, ac strenuorum decora Spartanis canerentur ad lyram, vt Alęx. dier. lib. V. Cap. XXI. Sed hoc fortasse minus in rem.

Illud monere satius existimaui, si Encomium parum a Panegyrico debet recedere, propositiunculam in exordiolo, vel quasi exordiolo exquirere. Qui BEATISSIMÆ VIRGINIS DEIPARÆ Encomium superius laudatum conscripsit, Propositionem constituit in limine ipsius .s. *COELVM vides* (Sodalis) *Animam B. MATRIS*, &c. quæ si minus elegans, & pietate sit insignior, quam cultu; poterit excoli pro tuo, lector ingenio, ita tamen, vt breuitatis memineris, & si liceat attentionem pares, quam ego comparare nixus sum in hoc meo

BEA-

BEATISSIMÆ IMPERATRICIS ROSARVM ENCOMIO.

ADeste, adeste queis FLORÆ amęnitates iucundæ, ac MYSTICÆ ROSÆ decora venerabundi suspicite. O! quam concinne Rosę comparatur DEIPARA; cui tanta cum Rosa intercedit affinitas; vt Rosa in Virgine, Virgo floreat in Rosa. Vtri prærroratur charismatibus gremium ne defloretur ardoribus: vtraque publici aeris refuga natales amat recessus; custodes virginitatis. Quod si suis Rosa Purpuris flagrans, fragrans odoribus, magnes sit oculorum, ac vitalium myrothecium spirituum. non nè raptrix est cordium, Beatrix Animorum MARIA; quæ felicem halitu spirat Arabiam; *cuius emissiones obtutuum Paradisus?* Omnes illa lepôres Charitum, Veneres viretorum prędata, vni sibi subiecit regnum decôris. Sublimioribus hęc Diuorum omnium virtutibus, potioribus Cœli aucta delicijs iure merito dicitur HORTVS CONCLVSVS, in quo Diuini stetit Thronus Amorls. Nec inuidet Rosę satellitio REGINA ROSARVM *Singulari venustate AEmula SOLIS: Sentium vero structa vti militum acies armamento terribilis.* Quapropter *ardens amore Deitas olim versabatur in rubis,* dum Rosam e rubis pręstolaretur in Matrem.

Pur-

Purpureoque super CRVCIS strato caput reclinauit in SPINIS quia in SPINIS diligeret ROSAM. Sed age quibus vnquã riguit Spinis LILIPARA tota pulchra, & suauis? Nullis certe. ni Matris viscera de Nati serto dempsere, vt de doloribus demerent. AVT ni Spinarum speciem exhibeant cęlicę phalangis *Tela ad huius DELICIARII* Prę sidium præstituta. Cum denique Cicindelæ ad se confugientis lucem ab insectatore vindicet rosa, ac plurimis commedeatur morbis: mentium lucem, supplicis Ecclesiæ fidem a truci crabronum morsu tuetur MARIA dum præfocat hęreses: dum Tracis, Tartareique Draconis capita in aquis comminuit. Quod vero morbos propellat; sexcentis gratiarum aulęis SACRI testificantur parietes. quocirca totus Christianus Orbis tuis *AVGVSTA ROSARVM* beneficiis deuinctus, mancipatus obsequiis. has tibi Diuinitus olim promissas offert *MVREnulas aureas*, ex tuis nempe elogiis contextas, nostræ mortalitatis *argento vermiculatas.*

Hoc grati monumentum animi ELEVTHERIÆ MATRI ereptus lethalibus vna eius ope terminibus reuerenti manu
susp.

Non deerunt forsan quibus dictiones *Charisma*, *&* *Myrothecium* sint acroceraunia visura. Sed quod ad primam, vox *gratia* vtram nequibat significationem *roris* .s. quo rosa, & *gratiæ* qua DEIPARA ab æstu, & originaria labe immunis est implere, & cum latina desunt vocabula; malo confugere ad greca, quam eneruì circumlocutione acumen obtundere.

Terenda existimarem manu syntagmata priusquam reprehendantur. infeliciter enim Epimethei Prometheos agunt. Cęterum o quantum Reipublicę literarię prodessent, qui tot indies vocabulariis typos fatigant, si voces studerent adiicere, quarum tanta caritate laboramus. reddant hi quæso latine, *felpa*, *fanale*, & alia id genus innumera: quod si minime prę stant Iuppiter actum agunt. Vsus sum igitur *Charismatis* voce, quę nescio cur explodenda potius sit, quam character, quę passim: nec afferam doctissimorum testimonia, quale illud Hieronymi Sermonetæ in Sylua 2. ad DEIPARAM.

Plena charismatibus qualis Pandora corruscas.

Vsus sum itidem Lampterii, ac Cimeliarchii vocabulis ad exprimendas has voces *il Fanale*, *la Galeria*.

Quod vero ad nomen *Myrothecium*, hoc idem summi vir frequentissime vsurparunt: neque vero mihi satis constat, quo pacto, nisi per compositum ex grecis dictionibus vnicum hoc vocabu-

lum

lum possimus pronuuciare,ni fortasse quis vellet cum Attici risu, vt Cic. ad illum scripsisset lib. 2. epist. 26. se in eius Consulatu describendo totam Isocratis vnguentariam tabernam cum Fornice comsumpsisse, *vt myrothecij salebram euitaret*.

Sed vt ad ordinem redeam huic modum Capiti impositurus: stylo, quem in Encomio adamarem, persimilis est Floridissimus, & Praeclarissimus IO. BAPTISTÆ FERRARII, eiusque selectissimę oratiunculæ paucis detractis, vel immutatis absolutissima viderentur encomiorum exemplaria, vt sunt felicissimi ipsius ingenii gloriosa specimina. Talis prę sertim erit Virgo vulnerata charitate. Plura de hac re scribere deliberaueram: sed ea propediem habebis in opusculo de Panegyrico. Vide Pulicis encomium Cęlii CALCAGNINI. & encomium Mustellæ Augustini BRABANTÆI.

D E
ACCLAMATIONE
ATQVE EVPHIMIA.
CAP. XXXVI.

ACCLAMATIO bonam in partem accepta, eadem est ac **EVPHIMIA** composita ex eu, quod nobis est bene, seu bona, & phimi, quod est fama, aut honora testificatio, vel fausta precatio; est etiam apud græcos semnologima, quod nos semnologema sermo. s. grauis, vel vt Plinius diceret *laudatio*, seu *acclamatio Senatoria*.

Hoc autem inter Acclamationem, & Euphimiam intercedit discrimen, quod illa tum fausta vt mox constabit, tum etiam aduersa. Euphimia vero, vt nomen pręsefert non nisi fausta sit, ex laudibus. s. vel precationibus.

Differt præterea acclamatio ab elogio; quod hæc imparatam, atq; extemporaneam plerumq; videatur orationem adamare, & nonnunquam carminis quodammodo imitari numerum; illud

vero

vero; si proprie sit elogium, desiderat cultum, & prosaicam dictionem. incedentem. s. stylum non currentem. parũ enim ab acclamationibus mihi videntur differre prolixę quærimonię, quas alii non immerito inclamationes compellarunt.

Vt vero clarius innotescat, quid sit acclamatio, quotuplex, quæque acclamationum formulę sic totam hanc rem peragemus.

Acclamare dicebantur, qui declamanti præclarum, vel gratum aliquid facienti assensum discretarum, vel indiscretarum plausu vocum testificabantur. in quam sententiam Cic. de Clar. oratoribus. *Non metuo*, inquit, *ne non mihi acclametis*. i. plausibiliter, vt loqueretur Diomedes, assentiamini, & D. CHRYSOST. Hom. XXVIII. ad Antioch. *Laudastis dicta: sed plausibus mihi nõ est opus, neque vocibus laudantium, aut tumultu*. idem quoque Hom. V. in I. Corint. *Applausistis alacriter, acclamastis? non sat est, &c.* Quin Philostratus Alexandrum Sophistam adeo elegantem, & concinnum in differendo fuisse perhibuit, fremitus vti adhuc tacens Atheniensium subierit, cõmendantiũ ipsius modestiã, & gestum. Quod vero ad rei prȩclare gestȩ fauorẽ. Cum Iulius Atticius districto ense ad Galbam adcurrisset *inclamassetque* periisse Cȩsaris hostem obstendens cruentatũ ensem. Quis, inquit Imperator, hoc iussit? respondit fides, & iusiurandum, quod prȩstiti. Tunc multitudo *acclama-*

nit. *Benefactum esse*, plausitque Galba. Plutar. in Galba.

Refert autem Appianus lib. 1. belli Ciu. obseruatum antiquitus, vt nisi magnis rebus gestis cuiquam acclamaretur: licet hic mos integer haud steterit diu, blanditiis, & assentationibus temeratus.

Excipiebatur in Castris Dux Imperatoris nomine a militibus acclamantibus post bella strenue, ac feliciter patrata, eodemque vocabulo Senatus deinde sententia decorabatur in Vrbe. Rosin. antiquit. R. lib. X. cap. VI. & Burling. lib. 11. cap. 1.

Acclamabatur etiam in Conuiuiis ab ijs, qui incolumitatem, secundasque res alicui precabantur. Suid. in Pherecrate. *Haustim bibebat laborans in certamine dulce vinum, in quo statim omnes acclamarunt. Viuas*.

Et quando loca cępimus indicare in queis acclamabatur. Testatum est monumentis historiarum acclamari in Senatu consueuisse ad assensum. *Omnes Omnes*. Appianus Alex. & Trebell. Pollio. Sed etiam in Triuiis. Procopius de Bello Goth. lib. 1. Pacem a Iustiniano concessam Teodahato, scribit hac lege, *vt Populus in acclamationibus Imperatorijs suum in primis deinde Theodahati nomen pronunciaret, siue in Theatro, siue in Triuijs*.

De

De Ouatione, ac varijs Faustarum Acclamationum formulis.
Cap. XXXVII.

Dixi indiscretis vocibus factas interdum acclamationes .s. in Ouationibus. Ouantibus enim acclamabant Quirites concursu vocum lætitiam præseferentium. quapropter ouantes, pro lætabundos vsurpauit Virg. 4. Æneid. at vero, quæ nam ille voces, monosyllabæ *ne*, an dissyllabæ haud satis expressum adhuc. qui Ouationem, quasi Ohationem ab *ohe* lætantis interiectione volunt deductam, autumare videntur hac eadem voce .s. *ohe* prosecutos fuisse latinos minorem triumphum, quem Ouationem compellabant.

Alii vero, qui *Ouo* ab *OO* per interpositam *v.* consonantem ad euphoniam tollendam deriuatum existimant: aperte docent omnium acclamantiũ voces in *OO* sępius, vt etiã nũc fit repetita conspirauisse. Ita vt *O O* inseruiret ouantium, *IO* vero triumphantium acclamationibus: atque illud, vt ita dicam, lætitium, absque vllarum vocum consortio; istud variis dictionibus; pro variis acclamantium votis, aut cõ filiis adiunctum pronunciaretur. vt *Io Felix, Io Paean, Io Triumphe* .Sca lig. laudatus de etymo vocis *iubilo*.

Hic vero animaduertendum censeo, particulam *Io* nullum peculiare mentis cogitatum, sed

lętitiæ gestientes affectum; qua nominibus, quæ verbis copulatam pręsignare. eadem sane ratione, qua & *HOSANNA* apud Hebreos, vt D. AVGVST. tract. 50. in IOAN. sub finem, licet me haud fugiat alias etiam esse huius interpretationes dictionis, quas recenset *D. IO. CHRYS.* Hom. 37. in Matt. Vide Scalig.

Nihil laboro de locis Tibulli, & antiquiorum, vbi *IO* doloris exprimendi vim habet. inq; horum vices sufficiam, quæ de vario eius vsu magis in rem facere diiudicabo.

Præponitur igitur *Io* vocandi casui indicatque nonnunquam irrisionem. hunc enim intellectum mihi videntur habere illa Venusini verba in epodo od. IX.

Io Triumphe tu moraris aureos
Currus, & intactas boues.

Interdum autem significat admirationem exclamantis & efferentis victoriam, vt ibidem Flaccus.

Io Triumphe, nec Iugurthino parem
Bello reportasti Ducem, &c.

Idem enim existimant interpretes particulam *IO* valere ac apud nos *O* particula admirantis, & per admirationem animos addentem. Hinc aliqui ex Ephori commentariis edocent *Io Paan* latinis *Mire Apollo* significare. quę voces primū expresse fuere ab iis, qui certamini Apollinis cum Pytone Tirāno intererant, ac post-

mo;

modum in eius victoriæ celebratione vsu receptum, vt in omnibus pęanibus, & ępiniceis *Io Paan* conclamaretur.

Interdum cum dictione *Paan* aut simili IO. vox est exultantis, & ad plausus hymnos lętitiamque excientis ita 2. de arte.

Dicit Io Paan, & Io bis dicite Paan;
Decidit in Casses præda petita meos.

Quapropter non immerito tradiderunt alii, adhibitas etiam voces huiuscemodi, dum gratularentur superis, vel vbi pestilentia deſæuisset, vti Æsculapio, qui & Pæon dictus est ab Aristoph, *in Pluto.* vel dum acceptam iis se debere profitebantur eam, qua fruebantur lætitiam, & gloriam, &c. hac enim solemni acclamationis specie .f. *IO TRIVMPHE* laureati milites, & donis insignes prosequebantur triumphantes, Triumphum nomine tanquam Numen cientes. Ita Liuius lib XLV, & Varro lib. V. de ling. Lat. Existimauit enim antiquitas cuique mortalium actui genium, siue Numen aliquod pręesse; hinc iactata apud ātiquarios Lucinæ Stimulæ cognomenta dę quibus idem Varro de ling. Lat. lib. 4. Plin. lib. 16. cap. 44. Ouid. 2. Fastorum, & alii innumeri, atque hac de causa sum opinatus ad irrisionem spectare allatum a me paulo ante carmen Venusini: videtur enim Genium illum irridere, cuius patrocinio fretus Antonius iam sibi adornarat Triumphum ante certamen. Vi-

de

de Plutarchum de Romanorum fortuna; vbi de Antonii, & Augusti dęmone.

Neque solum post propulsatas calamitates, & auuersa mala vsurpabat antiqua superstitio particulam IO cum Paean, vel alia eiuscemodi; sed etiam ad implorandum secundum rebus euentum. Vide Statium in epital. Stellæ. Teren. Adelph. 5. 7. & Iuuenal. Satyr. 3. atque in hac significatione adhibetur a me in SARNANI Semnologemate, vel vt particula *IO* cum voce *SERAPH.* idem *valeat,* ac *viuat, tueatur*, & alia, quę gestiens lætitia licet non expresserit tamen subinnuit.

Commemini me scribere non solum nominibus, verum etiam verbis anteponi hanc dictionem *IO* G. VANNINIVS charum Phœbo, & Musis caput in epinicio a me dudum laudato pag. 190. sic vsurpauit.

Viuis IO decor AVSTRIADVM decor edite Cælo
Tollis IO super astra caput,, &c.

Sed varias ad Euphimiarum formulas deueniens hinc inde colligendas, quas floridiores reddere, ex his alias effingere poterimus; prius illud e Suida libet adnotare primum Harmodio, & Aristogitoni Epinicium fuisse decantatum, cuius hoc erat initium.

Carissime Harmodi haud quaquam mortuus es; quo Harmodii nomine scite præscriberetur epinicium ob internecionem Tyranni, Harmodius

enim

enim cum Ariſtogitone Piſiſtratidarum tyrannidem euertit. vt Herodot. lib. 6. Subſecutis vero temporibus varię pro rerum geſtarum conditione varię fuerunt acclamationes conformatæ. L. Florus lib. 3. cap. 4. *Eodem, inquit, die, quo geſta res eſt, viſi pro æde Caſtoris Iuuenes laureati Pratori literas dare, frequenſque in ſpectaculo rumor VICTORIAE Cimbricæ feliciter dixit.* Sic apud Iuuenalem Sat. 2.

Signatæ Tabulę dictum feliciter.

Eiuſdem etiam formulę apud Suet. in Domit. extat acclamatio cuius hęc. *In Amphitheatro epulari die libenter audijt Domino, & Dominæ feliciter.* ita & in Claudio cap. 7. Vopiſcus in Tacito: *Acclamatum eſt a Populo FELiciſſime Tacite Auguſte Di te ſeruent.* quin eo aſſentationis proceſſum animaduerti, vt fauor, quo acclamatio deſignatur interdum in adorationem excederet, dum ille cui acclamabatur Deus prædicaretur. Ita Lampridius in Commodo. *Cum illi ſæpe pugnanti vt Deo populus fauiſſet.* id quod merito reprehendit in Panegyrico Plinius his verbis. *Quando ſint hactenus, vt Deo nunc, nuſquam vt numini blandiamur.*

Ad aſſenſum, vt diximus, tributis honoribus, vel nuncupatis votis pręſtandum acclamabant *Omnes Omnes.* Vopiſcus in Tacito.

Imperatori Traiano tantum Senatus detulit ſub-

subiectis vt acclamarit Principibus. *Ne sis Augusto felicior, Traiano melior.*

Visum est autem adnotare acclamationes quasdam subito animorum impetu erupisse; quasdam conceptis verbis dictas Principibus viris. Quapropter Plinius in Panegyrico. *Nullum*, inquit, *acceptius est genus gratiarum, quam quod illas acclamationes æmulemur, quæ fingendi non habent Tempus.*

In quodam enim pietatis calore haud possunt feruescentis animi impulsus cohiberi, quin liberas se in acclamationes effundant, & hę sunt veracia argumenta virtutum, non assentationum calamistra, & pigmenta. adeas Tacit. lib. 3. ann.

Præstructę acclamationis speciem refert Trebellius Pollio, qui cum Valerianus Imper. in Senatu de Censore creando agitaret, vna omnium voce sic eidem scribit acclamatum fuisse.

Valeriani vita censura est. Is de omnibus iudicet, qui est omnibus melior. Is de Senatu iudicet nullum cui crimen inuri potest. is de nostra vita sententiam ferat, cui obijci quicquam nequit. Valerianus in tota vita Censor prudens, Senator modestus, grauis, amicus bonis, Tyrannorum hostis, criminosorum inimicus, ac vitiorum multo magis, Censorem hunc accipimus, imitari hunc omnes volumus. genere hic est primus, sanguine præcellens, vita emendatus, doctrina clarus, moribus insignis, exemplum antiquitatis. Pręstructam hanc Euphimiam

miam adeo prolixam nullus inficiabitur, qui vna omnium voce pronunciatam (id quod affirmat Trebellius) non dubitarit.

Hæc sane grauis, & Senatoria rerum pondere, non orationis lenociniis conspicua, & insignis. ita vero(quod paulo ante monebam)temperata, vt videri possit extemporanea.

Quin immo nō solū excogitatas, sed etiā musicis sonis accomodatas olim fuisse acclamationes, tū sacrę, tū prophanæ testantur paginæ; quapropter cum Vopiscus in Aureliano donata perhibeat oraria Populo Romano, quibus ad fauorem vteretur; edocet Lipsius oraria fuisse tegmina, seu resonantia velamina, quæ ad magis concinnandas modulatas acclamantium voces aptabantur. Vere enim modulis suis interdum acclamationes constabant, vt Tacitus 3. annal. ad ea verba. *Plebs personabat certis modis, plausuque composito*. quibus Lipsius innitens Selectorum lib. 2. cap. 10. *Nec vocibus*, inquit, *solum singulis, sed & contextu quodam ad modulum, & cantum compositas Euphimias*. rem denique prorsus confirmant hęc Cassiodori verba Variar. lib. 1. *Profertis voces organo dulciores, & ita sub quadam harmonia Cytharæ concauum Theatrum per vos resonat, vt sonos possit quidam credere, qui clamores*. Vide, & Xiphilinum in Pertinace. Ne me igitur reprehendas amice cum Constántio Scalio quasi ad rythmum acclamauerim. Consulas

Alex.

Alex. ab Alex. lib. .... & Rhod. lib. 6.

In acclamatione ad Valerianum integritas, modestia, sanctitas, generis nobilitas, doctrinę claritudo, &c. artificiosa quadam negligentia tanguntur: sic alia in aliis acclamationibus. Plinius in Panegyrico fortitudinem Traiani Neronis cantum laudata in acclamationibus, docet his verbis. *Quantoque Populus Romanus concentu formosum alium, hunc fortissimum prędicat: quibusque aliquando clamoribus alterius gestum, & vocem, huius pietatem, abstinentiam, mansuetudinem laudat.*

Interdum autem non virtutes, sed earum effecta, quasi oblique gratias agētes efferimus. Paulus Diaconus lib. VIII. ob Pertinacis laudem ingeminatis vsq; ad vocis defectum plausibus ita acclamatum fuisse testatur. *Pertinace Imperatore securi viximus, neminem timuimus, Patri Pio, Patri Senatus, Patri bonorum omnium.*

Non omittam inter faustas precationes, *procerum annorum cursum, felicem senectam*, & alia id genus complura, vt *victoria, &c.* tum olim, tum nostris temporibus vsurpari. Euagrius lib. 2. *Ortodoxe Rex te ipsum vindicato Leoni multos annos.* atque hic animaduerto eo interdum assentationis processum, vt hanc vsurparent acclamationis formulam. *De nostris annis Dii tibi annos adaugeant,* vt Principis vitam, sua sibi chariorem esse demonstrarent.

Caro-

Carolo Augusto a Leone Pont. M. coronato ter acclamatum accepi; *Carolo Augusto Magno Pacifico Imperat. Rom. vita, & victoria.* ex Regin. Quæ Euphimiæ vti maximi ponderis sunt, quum Carolis vere Augustis dicuntur, ita leuiores, quum ijs exhibentur, qui nihil habent Augusti pręter nomen.

Videamus, quid Tacitus, quid alii scribant de congestis absque vllo iure, & iudicio titulis per sordidas assentatioues, de celebratis facinoribus affictisq; virtutibus. faciunt namque promerita, vti communes appellationes ita compellatis propriæ reddantur, vt non magis definite designet, qui Traianum quam qui OPTIMVM nuncupat. Plin. in Paneg: ex quo tum plurima ad acclamationes spectantia percipies; tum hâc pręsertim votorum suscipiendorum rationē in maximam commendationem Traiani. *Di te sospitem præstent, si tu cæteros præstiteris.* quæ ad ad optimi Principis Euphimiam perbelle poterunt accomodati. induciq; vetustissimis formulis decor, quē ęui reflorescentis floriditas persuaserit neq; enim fieret absq; nostrorum temporum nota, vt cœteris exornationibus illustratis, ac nobiliorem ad formam redactis vna Euphimia iaceret in suæ antiquitatis squalore.

Quod si collibeat sacra volumina perlustrare multa comperiemus acclamationum exempla.

Si quis autem de me peteret modulatę formulam

mulam acclamationis vnam hanc, quam floridissimus, ac Piissimus Vates GVIDO Vanninius vna cum poemate de Arte Amandæ Virginis euulgauit.

VRBANO VIII. P. M.
Euphimia
GVIDONIS VANNINII.

IO Triumphe Tartara
Haud VATICANO praualent
Fulmen Megeræ victima
GVSTAVVS orci concidit.
Qui rapta vix posséderat
Regni Trophæa barbari
Demens putauit finibus
Victor potiri Tybridis.
Terram cruento vertice
Pressit superbus inclitam
Securus orbis Italus
Partam canat victoriam.
Sic bracteatæ fulgidum
Spes enitent, & occidunt:
Quæ non secundant Cælites
Humana stare nescia.
VRBANE nomen vnicum
Cæli viam calcantibus
Non comparando concine
Io triumphe carmine.

Ce-

Cælum tibi nam dexterum
Hanc præstitit victoriam,
Et Vrbi, & Orbi Maximus
Transcende sæcla Nestoris.

Si vero sacra libeat oracula perlustrare comperiemus lib.I.Reg. c. XVIII. Dauidi acclamatum post insignem de Philisteo victoriã. *Percussit Saul mille, &c.* acclamatum Iudithę de Olopherne triumphanti. Iudith. Cap. XIII. *Tu gloria Hierusalem, &c.* Extant etiam aliæ permultæ .s. Ezechiel.Cap. III. Apocal. Cap. VII. Matt. Cap. VI. & alibi aliç.

De Aduersa, siue Infausta Acclamatione. Cap. XXXVIII.

VErum ne dum faustarum, sed & infaustarum acclamationum, quas diras vocabãt; frequens mentio est apud Etnicos, & Orthodoxos scriptores. quemadmodum enim res prçclare gestæ, conciones iucundę, victorię, triumphi, plausus, & lætas celebrantium voces sibi conciliabant, sic asperę conciones, responsaque, tristia nuncia, clades, erumnę, clamores, fremitus, execrationes eliciebant. Hinc Tacitus ann. lib.3. cũ Germanici cineres in Vrbem inueherẽtur lacrymis, & conclamationibus testificatum perhibet dolorem, & lib.1. refert Augusti

O lau-

laudes, Tiberii victorias, Galliarum fidem celebrata a Germanico excepta seditiosis fuisse modico murmore; vbi vero seditionem attigit indiscretis vocibus pretia vacationum, angustias stipendij, &c. id genus incusata: quapropter Lipsius Selectorum lib. 2. cap. X. *Noua, tristi, lata, subitaque in re erumpebat acclamatio.* de qua multa Budeus in Commentariis ling. Grecę.

Aduersam acclamationem habemus IV. lib. Æneid. his versibus.

Nec te Diua parens, generis, nec Dardanus auctor
Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanęq; admorunt vbera Tigres, &c.

Et in sacris literis II. Reg. Cap. XVI. extat acclamatio Semei aduersus Dauidem, & Goliathi in eundem capite subsequenti.

Diras dicemus verba, quibus Iob sensitiuę, vt ANGELICVS ait, partis impulsu, execratus est diem natalis sui, tot obnoxium ærumnis.

Diris, & faustis precationibus permixtæ sunt acclamationes, quas memorauimus Enrico PVTEANO adscriptę, & Epiniciū I. CÆS. BAZARDI in ADOLPHVM Suecorum Regem, quibus omissis deueniam ad vmbilicum operis scilicet.

De

De Faustæ Acclamationis Stylo, & exemplis
Ad Cap. XXXIX.

NEmo sit, qui existimet illas mihi eulogias reprehendi, quæ acclamationũ phrasibus per felicitatis, vel diuturnæ vitæ precationes terminantur, aut quę per acclamationum peculiaria verba non raro incipiunt: tum quia perarduũ est non transilire ex vno in aliud exornamenti genus, tum quia vnica euphimiæ clausula, si concinna, potest in eulogio excusari non solum, sed, & laudari. vt in elogio Nicolai Contareni cap. 6. Clausula Franc. PONÆ .s. *Tantum virum decus humanitatis Dij seruent ad auum.* quam propriam esse acclamationis tradidit Tertullianus in libello de spectaculis.

Meum est consilium paucis subiunuere, variam esse formam, varia initia, terminationesque euphimiarum: quidam enim per exhortationem ad maiora peragenda laudant peracta, faustaq; precantur, alij per gratulationes, quas ab honoris titulis exordiuntur, acclamationes cõtexunt alij p precationes & auspicia maioris felicitatis, nonnulli per gratiarum actiones in vnam patrię, parentis, vindicis libertatis compellationem perstricto beneficio, vel se felices, vel illum cui acclamatur, felicem predicant, vt Plinius in Panegyrico. pussumus, & gratulari superis, vel

for-

fortunata tempora nostra prædicare, exordiri à fausta precatione, à salutatione, & ab omnibus demum illis rationibus, quas, vel pietatis ardor, vel solers ingenium nobis suppeditabit. Habes amice lector in subsequẽtibus miscell. mearnm, quales cę cumque sint euphimiarum exempla. Cœterum ex alienis duas tibi exhibuisse, alterã ad imitatiunem, ad fugam alteram satis existimabo. Laudatus a me paulo ante.

IVLIVS CÆSAR BAZARDVS vir Capitolina quercu, atq; aureo dignissimus Tripode amico Ferentillo sic per salutationem acclamauit.

SALVE
Themidis Venerande Sacerdos
Eruditissime FERENTille
quo iuris penetralia reserante, plausibus aula sonat quæ iam obstrepuit clientum querimonijs, & religiose colenda Astrea postliminio redit.

Animaduertas hic imitationem in verbis *reserante sonat;* contrapositionem in vocibus, *sonat plausibus, obstrepuit querimonijs*; eruditionem in ijs *Astrea postliminio redit,* quam, & in vniuersa acclamatione sparsam cognosces.

SALVE
Rediuiuiue NVMA
Quem euulgantem Iurisprudentiæ oracula, legum po-

potius latorem, quam interpretem Quirites acclamabunt, & Romana subsellia dissidia fori examinantem veritatis propugnatorem agnoscent.

Rediuiue Numa, pręsefert eam, quam diximus eruditionem, quę robur est elogii, & acclamationis *Prudentia oracula, &c.* decoram elocutionem, *legum potius latorem, &c.* continuatam illustrem, & ingeniosam allusionem cum maximo acclamationis incremento. *Romana subsellia acclamabunt* elocutionem, & polymathiam nobis repræsentant.

SALVE
Felix Auriga
Quo Legalis Philosophię curriculum
solerti consilio gubernante
ROTA suos orbes
faciliori motu iam explicat
legitimasque semitas, cito axe percurrit.

Suspice ingeniosum pręconium, & disce aculeos comminisci in magistratuum vocabulis ad animos feriendos.

Nec illaudatum prętereas legum semnologema; quarum peritiam philosophię nomine decorauit, deriuato ex academia, quę subordinatos quatuor legum ordines dinumerans prouidentiæ, s. fati, naturæ, atque prudentię beatas vrbes tum fore prędicauit, *Cum regnarent Philosophi, vel Reges philosopharentur.*

SAL-

SALVE denique
Verendum mihi caput,
cui sublimes honoris apices
gloriose attingenti
Sapientum cœtus impense gratulatur,
& post salutantium obsequia.

Si spectes etymon, non miraberis me ad euphimiam redegisse salutationem, quam tamen ipse poteris variare per AVE, & SALVE, vt Pignorius. quorum alterum ad matutinam, alterum ad vespertinam salutationem veteres vsurpabãt. hæc vt Dionis verba in Adriano. *Cornelius officium cuidam præstiturus iudicium ingressus est, ac Iudices salutauit, vt non matutino vteretur verbo AVE, sed SALVE vespertino.* Idem ex Martiale lib. 1. 51. & lib. 9. 9. Virgilius *Aue*, & *Salue* quasi vltima, quibus vita perfunctis requiem, & gaudia precamur, iunctim verba vsurpauit.

Salue æternum mihi maxime Palla
Æternumque vale.

Eandem propemodum formam conspicaberis in Euphimiis sępius memoratis, quæ inter prisci conuiuij reliquias.

Acclamatio PVTEANI.

DEVS Opt. Maximus te N. seruet, Deus te conseruet I C. TI nomine mactus es, faustum sit. IC. TI nomine donatus es: salutare sit.

A te

A te miseri auxilium sentiant, a te probi pręsidium, a te improbi abstaculum inueniant. IC. TI nomen in purifica, quod lucrum lutulauit, tu purifica, quod ambitio infamauit tu purifica. Redde in integrum nomen IC. TI. Iustitiæ sacra contempta reuoca, neglecta vindica. Sic fides redeat: sic respublica in meliorem vortat.
ac deinde fastidiendus omnino prosequitur.

Tu facies genio tuo, ingenio tuo languidusq; ac repens se in decora illius effundit, ac demum vertit in diras, *Crucem* .s. *illis, qui aliter. &c.*

Et ad VELASCI Principem.

Princeps VELASCI DEVS Opt. Max. te seruet. Imperator Velasci Deus te conseruet. Tu rempublicam nostram seruasti; gratias agimus. Hostes Patriæ eliminasti. Pater Patrię voceris. Princeps viuas, immortalitatem habeas. per te salutem nacti sumus, tibi salus, &c. que te legere pertęderet, me vti piget excribere. Verum ne temere hęc ipsa sub oculis posita suspiceris. Admoneo ne sis earundem formularum adeo studiosus, vt per eas plures acclamationes contexas. sita namq. in varietate iucunditas, neq; compendiarias notas adhibeas: acclamationem etenim pangis, nō epigraphem: extrudas nugas illas. *genio tuo, ingenio tuo, &c.* nec te infrigidas illas sententias inuehi

uehi finas. *Mali sunt, qui bonis dicunt male, qui semper rodunt alienam famam &c.* vix enim vllus per me locus daretur aculeato, & illustri digito in euphimijs. Cœterum ipse potius Iuppiter adscriptam tanto viro, quam ab eo inuulgatam suspicor talem acclamationem. In qua tamen imitatione digna sunt hæc. *Hostes Patrię eliminasti; Pater Patriæ voceris. Per te salutem nacti sumus, tibi salus.* Recensenda namq; speciatim ea sunt, ob quę gratias agimus, & acclamamus. ex ijs tituli eliciendi, statuendi ad nominis immortalitatem. Ita Camillo *Patriæ Parentis* indita compellatio. Sic Marius Cimbrico Triumpho. *Tertius Vrbis conditor* vocatus. auctor. Vell. & Plutar.

Huc vero quasi pro Coronide adtexam Scriptores imitatione dignos consuesse eadem, quæ sunt exorsi acclamationis, vel salutationis formula euphimiam terminare: & in his conscribendis habendam quidem esse rationem aliquam in earum, quas proferimus impræmeditati: ars enim imitari debet naturam: ne tamen censeas hoc nomiue excusari, qui inconditas, & asperas Cacophonias pro Euphimijs effundunt.

Hęc pauca quasi tumultuario de Philologicis hisce exornationibus, de quibus alias forsan limatius, & vberius conscripturi si res postulabit.

FINIS.